præditam optimis, cæterùm formas illiberali. Mulier adver-
A tens ſe marito eſſe inviſam admodùm, navem conſcendit, & ad genere propinquos ſe recepit. *Chalcocondylas l.4.*

Nicephorus Imp. Theophaniam, alteri viro deſponſatam, ſeparavit, & filio ſuo Stauratio conjugem dedit. *Paulus Diaconus l.24.rerum Rom.*

Irene Andronici Senioris uxor, cùm infenſa privigno ſuos filios ad imperium promovere ſatageret, amore mariti in odium verſo, Theſſalonicam abiit, & ſecretorum conjugalium pudendis calumniis Imperatorem onerare non dubitavit, licèt ille ſtrenuè domeſticum dedecus diſſimularet. *Chalcocondylas lib.7.*

Mathildis Comitiſſa, quæ jam grandis natu Apoſtolicæ ſedi, quicquid mare, & Apenninum montem interjacet, teſtamento legavit, Azoni Eſtenſi principi nupta, Gregor. VII. interdicto, propter conſanguinitatis vinculum, quo priorem maritum Godofredum Azo attingebat, reliquit. *Sabell.lib.3. Enn.9.*

Ludovicus Brandeburgenſis Marchio, Ludovici Bavari Cæſaris filius, Margaritam habuit uxorem, filiam Henrici
B regis Boemiæ, quæ ob os deforme, & ingens, vulgò Maultach cognominata eſt. Hæc Joan. Henrico, Henrici VII. Imp. F. Boemiæ regi nupta fuerat. At cùm ille impotens in coitu uxorem plurimùm moleſtaret, eamque nunc mordendo mammillas, nunc laniando comas ſemifatuam redderet: mulier inſcia quid ageret, conſilio procerum, Barones ſuos Ludovico Cæſari miſit nuncios, ab eo petens filii nuptias: Carinthiam ad ſe jure hæreditario devolutam, in dotem promittens. Ejecit interea Boemum è comitatu, cum quo annos octo condormiverat. Ludovicus Cæſar promiſſioni favet, filium advocat. At inſuetum facinus exhorret: nam conſanguinei in tertio gradu uxorem abducere, nondum divortio ſeparatam, adulterium eſſe cenſebat. Pater è contrà perfido fidem non eſſe habendam aſſerebat. Boemiæ enim rex cùm inveſtituram à Cæſare peteret, nunquam ſe ab eo diſceſſurum jurejurando promiſerat, quod minimè præſtitit. Idcirco exacerbatus Cæſar, filium, vel invitum, ad hoc matrimonium impulit. Perſuaſus filius à patre tandem, multorum fretus auxilio conſilioque uxorem abripit, divortium ſolemniter facit, matrimonium legale, cum donatione perficit, anno Chriſti MCCCXLII. *Cuſpinianus.*

C Franciſcus Remolinus Hiſpanus, duci Borgiæ familiaris, ab Alexandro VI. Cardin. creatus eſt, & ut ne conjugium ei obeſſet, Uxorem monacham fieri perſuaſit. *Garimbertus lib. 4 de vitis Pontificum.*

Receptio derelictarum, vel repudiatarum. Qui quas receperint.

☞ *Ex priore Titulo Repudiatarum, exempla quædam huc pertinent.*

Hipparete Hipponici F. Alcibiadi nupta, cùm eſſet impatiens injuriarum genialis thori, quòd conſuetudinem ille haberet cum meretricibus peregrinis, & urbanis, divertit ab eo, & contulit ſe ad fratrem. Non curante id Alcibiade; ſed lætè agente, oportebat eam divortii monumenta apud archontem deponere, non per alios, ſed ipſam præſentem. Quæ ubi adfuit, ut id ex lege ageret: irrumpens Alcibiades rapuit eam, medioque foro domum ferens abiit,
D nec fuit quiſquam, qui obſiſtere, vel eam auferre ſuſtineret: atque illa manſit apud eum, quoad vixit. Cæterùm non multò poſt, cùm navigaſſet Alcibiades Epheſum, vita exceſſit. Et quidem non fuit vis hæc viſa prorſus deteſtanda, vel humana: lex namque ideò in publicum produci jubet ipſam, quæ divertit, quò congrediendi, cum ea viro, & retinendi ejus ſit facultas. *Plut. in Alcibiade.*

Multi Captivi ab Atile pridem facti redierant, & domos velut poſtliminio repetierant. Itaque Leo Pontifex à Niceta, Epiſcopo Aquilejenſi ſuper uxoribus eorum, qui redibant, conſultus, ſtatuit, ut prioribus nuptiis ſtarent. *Sigonius lib.14. Imp. occid.*

BALDUINUS I. Hieroſolymorum rex uxores habuit duas. Repudiata enim priori conjuge, Siciliæ regis viduam duxit, quam conſcientiæ ſtimulo agitatus, tertio anno rejecit, priori iterùm aſſumpta. *Tyrius.l.10.& 11.*

CONJUGII XPHΣIΣ.

☞ *De Amore, & conjugali ſuis locis egimus. Pleraque huc poterunt accommodari.* E

FORMÆ RESPECTU.

CONNUBIA.

Certa.

Cecrops Athenienſium rex primus Venerem vagam certis connubii legibus adſtrinxit, & marem uni feminæ conſueſcere voluit. Propterea διφυῆ fuiſſe fabulantur, bi formem, ancipitis naturæ, marem & feminam, propter introductum ſtabilis conjugii morem, & liberorum certitudinem. *Athenæus lib.23.c.1.*

Promiſcua, Vaga, Incerta.

☞ *Vide locum Libidinis. Illic Intemperantiæ, hìc Amicitiæ conjugalis habetur ratio.*

Ætiopes ſolemnes nuptias non norunt, ſed paſſim indiſcreto concubitu miſcentur. *Alex.l.1.c.24.*

Eubulibus in inſulis rex imperare dicitur, qui ſine ſpe conjugii in quancumque commotus fuerit, ſponſam uſuariam capiat. *Idem* F

Troglodítæ nudi per omnem vitam degentes, uxores, filioſque omnes communes habent, excepto tyranno, qui unicam tenet, beſtiis ſimiles, ut qui neque voluptatis neque doloris ullum niſi naturalem ſenſum percipiant, neque turpis, neque honeſti diſcrimen norint. *Diod.l.3.c.3.*

Nomades communes habent uxores, & filios. Apud Scythas, præter enſem, & cyathum, uxores, & liberi in communi ſunt. *Alex.l.4.c.2.*

In ſuperiore Libya mos invaluerat, ut mulieres haberentur communes, ſic tamen, ut inde ſuſceptos liberos ſimilitudinis ratione diſtribuerent. *Ariſt.l.2.polit.c.3.* Id quod Pomponius Mela Garamantibus tribuit.

Naſamones, uxores plures ſinguli è conſuetudine habent, cum his in propatulo coeunt, eodem penè quo Maſſagetæ modo priùs ſcipione prætento. *Herod.l.4.*

Limyrnii uxores omnes habebant communes, filioſque ex æquo omnes communiter alebant, ad annum uſque quintum: quo tempore exacto, diſtribuebant iis parentibus alendos, & educandos, quibus forma perſimiles eſſent. *Stob. ſer.24. ex* G
Nicolao de Gentium moribus.

Auſes Africæ populi promiſcuè cum mulieribus non unà habitant, ſed pecudum more concumbunt. *Gerod.l.4.*

Agathyrſi Scythiæ populi, excultiſſimi viri ſunt: & aurum plerunque geſtantes, in commune cum mulieribus coeunt, ut inter ſe Germani ſint, ac domeſtici omnes: nihil neque livoris, neque odii mutuò exercentes, cætera ad Thracum conſuetudinem accedentes, *Herod.l.4. & Stob.ſerm.42.*

Thraces virgines non aſſervant, ſed promiſcuè, uti collibuerit, cum viris congrediuntur. *Cælius lib.18. cap.23. Antiq. Lect.*

Maſſagetæ ſinguli uxorem ducunt, ſed ea communiter utuntur. Quoties qui libidine capitur mulieris, ſuſpenſa ad plauſtrum pharetra, ſine metu concumbit. *Herod.l.1. Strabo.l.11. & Sab.lib.6.En.2.*

Cùm Lacedæmonii adversùs Meſſenios, ob violatas ab eis ſuas virgines in Meſſeniorum ſacrificio, expeditionem ſuſcepiſſent, jurati inter ſe, non priùs ab armis diſceſſuros, quàm Meſſanam expugnaſſent: Uxores abſentiam maritorum per- H
tæ æ, viros domum revocarunt. Illi domum Juniores miſerunt qui poſt juſiurandum ſupplementi cauſa fuerant in caſtra acciti iiſque permiſſum, ut promiſcuè cum omnibus concumberent. Et ab hujuſmodi indiſcreti concubitus nota, Parthenias, qui inde orti ſunt, nominavere. *Sab.l.3.En.2.*

Cabades rex Perſarum legem tulit, ut feminæ viris in communi eſſent expoſitæ, & ut cujus ex lege liceret, ac quamcumque animus ferret, accedere, privatique thori participem fieri. *Agathius l.4.*

Phœnices Heliopolitani ſentiebant, uxores debere eſſe communes: eamque ob cauſam liberi eorum incerti erant, cùm nulla liberorum, & parentum eſſet diſcretio. Virgines etiam hoſpitibus proſtituebant. *Socrates.l.1.c.18.*

Apud Sabęos, & Nabathæos unà omnibus uxor eſt. Qui prior ingreditur; poſito ante januam baculo, cum ea congreditur (nam in more habent, ut quiſque baculum gerat) ea tamen cum grandiore pernoctat: qua propter omnes omnium ſunt fratres. Cocunt etiam cum matribus. Adulter capite plectitur, is ſcilicet, qui ex alio genere eſt. Sed & hujuſmodi quidam

quidam narratur Regis cujuſdam filia mira pulchritudine, cùm
A fratres quindecim haberet, qui omnes eam miſerè adamarent, & propterea alius poſt alium continuè ad eam ingrederentur, jam defeſſa, rem hujuſmodi machinatur, baculos facit baculis eorum perſimiles, & cum quiſque ab ea exiret, continuò baculum aliquem ſimilem ante januam ponebat, & paulò pòſt alium, conſiderans, ne qui eſſet ingreſſurus, illi ſimilem haberet. Cùm itaque aliquando omnes in foro eſſent; unus ad portam accedens, & baculum videns, putavit ex hoc aliquem intus cum ea eſſe: ex eo autem, quod fratres omnes in foro reliquiſſet, adulterum ſuſpicatus adeſſe, currens ad patrem, atque huc eum accedens, convictus eſt ſororem falsò criminari. *Strabo lib.16.*

Gentem Anglorum ſpretis legalibus connubii adulterando, & luxuriando inſtar Sodomiticæ gentis fœdam duxiſſe vitam Bonifacius Moguntinus Epiſcopus in epiſtola ad regem Anglorum teſtatur *apud Antoninum tit.14.c.1.§.7. Henricus Erphordienſis cap.67.*

Hieronymus lib.1. adversùs Jovinianum, inquit: Scotorum natio uxores proprias non habet, & quaſi Platonis Politiam legerit, & Catonis ſectetur exemplum, nulla apud eos con-
B jux propria eſt: Sed ut cuique libitum fuerit, pecudum more laſciviunt. Ordaci Albionis incolæ, latrociniis aſſueti, communibus utebantur uxoribus. Nati ex promiſcuo concubitu, quòd patrem demonſtrare non poſſent, omnium habebantur filii. *H. Boetbius lib.1.*

NUMERI RESPECTU.

Huc pertinet

MONOGAMIA. Sive

Plures non ducantur ſimul, ſed una tantùm.

Deus Adamo, auctore Joſepho in primo Antiquitatum, quem primum fecerat hominem, antequam (ſicuti quidam volunt) peccaret, confeſtim Evam, ad ipſius hominis exemplar confictam, matrimonio copulavit, ut duo inter ſe permixti ſexus, propagare ſobolem poſſent, & omnem terram multitudine opplere. D. autem Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium, de virginitate ſervanda, id à Deo factum tradit, poſtquàm Adam, & Eva ejus mandatum ſunt tranſgreſſi. Idem contra Jovinianum repetit. Apoſtolus uxorum multitudinem
C interdixit, ad Corinthios ſcribens: Attamen propter ſtupra vitanda, unuſquiſque ſuam habeat uxorem, & unaquæque virum ſuum habeat. *Polyd. de Invent.*

Iſraelitarum regibus multas uxores habere interdictum fuit à Domino, ne pietate deflecterent. *Deut.17.*

Ægyptiis ſacerdotibus unam tantùm uxorem ducere licet, reliqui pro voluntate, & facultatibus plures habent. Quam legem conferre exiſtimant, propter hominum multitudinem, & ad felicitatem, & ad potentiam civitatum. Nullus ex eis, ne ex ſerva quidem empta genitus, ſpurius habetur. Solùm enim patrem exiſtimant generis auctorem: matrem, & matrimonium, & locum infanti præbere. *Diod.lib.1.c.6.*

Apud Spartanos duas ſimul duxiſſe, crimini fuiſſe datum ſatis conſtat (licèt aliqui contra vetitum peſſimo id exemplo factitarint) Lycurgi lege, qui binas uxores unam ædem incolere, atque eadem domo habitare non permiſit. *Alex. ab Alex. cap.24.*

Germani omnium ferè, qui ad ſeptentrionem, & ortum habitant, ſoli unica uxore contenti ab initio fuere: quamquam &
D his nonnulli plura celebrarent connubia. *Sabellicus libro 2. Ennead.6.*

Nuptiæ non repetantur.

Charondas Thuriorum legislator nuptias ſecundas vetuit. *Dion. lib.12.*

Sunt quædam civitates Germanorum, in quibus tantùm virgines nubunt, & cum ſpe, votoque uxoris ſemel tranſigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam: ne ulla cogitatio ultrà, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, ſed matrimonium ament. *Tacitus de moribus Germanorum.*

POLYGAMIA. QUANDO VEL

Vir plures ſimul ducit uxores.

Abraham præter legitimam uxorem Saram, ex qua Iſaac ſuſtulit, alium ſuper induxit Cethuram, quæ ei ſex filios pepetit. Iſaac tamen dedit omnia ſua: concubinarum verò filios muneribus ornatos, Orientem versùs amandavit, qui Brachmanes poſteà dicti fuere, quaſi Abrachmanes. *Gen.25.* E

Eſau F. Iſaac uxores alienigenas contra parentum voluntatem duxit Judith Boeris, & Baſemath Etonis, Hettæorum filias, *Gen.26.* Rursùs cùm videret Hettæas patri ſuo non placere, Iſmael Abraham F. filiam Mahalath, Nabajoth ſororem ſuperinduxit. *Gen.26.*

Uti mulierum paucitas in cauſa fuit, quamobrem fratres à principio ſibi ſorores conjugio ſociarint, ſic paucitate populi factum videtur, ut Hebræorum quidam propangadæ ſobolis ſtudio, plures interdum uxores ſimul habuerint: primuſque eam legem ante diluvium violare auſus fuerit Lameth, qui ut eſt *cap.4. Geneſ.* duas ſimul habuit in matrimonio feminas, cujus poſteà complures extiterunt imitatores. D. Auguſtinus, quia mos erat, crimen non fuiſſe ait. At *Tertull. lib. ad uxorem primo*, ait id factum, ut eſſet, quòd nova lex reſcinderet, ſic *Chryſoſt. homil.55. & in Geneſim*, de ea re ſcribit: Tum enim, quia principia erant, permiſſum fuit, cum duabus, vel tribus, vel pluribus uxoribus miſceri, ut humanum genus propagaretur, & pietas incrementum acciperet. At Chriſtus adveniens omnem illam veterem conſuetudinem abolevit. *Polyd. de invent.*

Unde Jacob Patriarchæ acciderit quatuor habere feminas, de quibus duodecim filios, & unam filiam procrea- F
vit, cùm earum nullam concupiſceret illicitè, divina Scriptura indicat. Ad unam quippè accipiendam venerat, ſed cùm illi altera pro altera ſuppoſita fuiſſet, nec ipſam dimiſit, qua neſciens uſus fuerat in nocte, ne ludibrio eam videretur habuiſſe: & ex eo tempore quoniam multiplicandæ poſteritatis cauſa plures uxores lex nulla prohibebat, accepit etiam illam, cui uni jam futuri conjugii fidem fecerat. Quæ cùm eſſet ſterilis, ancillam ſuam, de qua filios ipſa ſuſciperet, marito, quod etiam major ſoror ejus, cùm peperiſſet, imitata, quoniam multiplicare prolem cupiebat, effecit. Nullam Jacob legitur petiiſſe præter unam, nec uſus plurimis, niſi gignendæ prolis officio conjugali jure ſervato, ut neque hoc faceret, niſi uxores ejus id fieri flagitaſſent, quæ corporis viri ſui habebant legitimam poteſtatem. *D. Aug. lib.16. de Civ. Dei, cap.38.*

David rex, exul, uxores duas duxit, Achinoam Jezrael, & Abigail Nabal viduam. Michol enim Saul pater pulſo Davide Phalti Lais F. Gallinenſis locaverat. *1. Reg.25.*

Aſtarte Dea Sidoniorum, ut Chamos Deus Ammonitarum: quos coluit Salomon Judæorum, ductis peregrinis uxoribus, quæ cum Iſraeliticis fuerunt DCC. & concubinæ CCC. Ex his om- G
nibus natus illi eſt filius Roboam, iſque ex peregrina, regno indignus. Neque enim multitudo uxorum bonam gignit ſobolem. *Suidas.*

Herculis uxores multæ memorantur. Meliten Ægæi fluuii filiam duxit, ex qua Hyllum ſuſcepit. Ob Jolem ſibi promiſſam, ſed pòſt denegatam, ut ait Menecrates, univerſam Oechaliam, Euryto patre in Eubœam fugientem, debellavit. Eidem nupſit etiam Auge, quam Alæus pater, cum filio Telepho in mare in urna demerſit. Ex Palladis providentia ſervata, cum urna ad oſtia Cayci evaſit, & à Teuthrante excepta eſt. Hæc deinde Hyllo filio Hercules conceſſit. Omphales Lydorum regis filiæ amore captus, inter pediſſequas femineo habitu indutus ſedentariam artem exercuit, ut teſtatur *Ovid. in Dejanira.* Habuit etiam Dejaniram, quam cum Acheloo colluctatus accepit, Oeni Ætoliæ regis filiam, quę fuerat Acheloo deſponſata. *Natalis Comes l.7.c.1.Mythol.* Multas denique mulieres ſeorſim habere ſolebat: ex quibus filiorum multitudo H
illi nata eſt. Nam quinquaginta puellas Theſtii ſeptem diebus vitiavit, ut aſſerit *Herodotus Athen.lib.13.c.2.*

Indi multas nuptas habent, quas à parentibus accipiunt pari boum emptas, alias obedientiæ gratia, alias prolis, ac voluptatis: & niſi caſtas eſſe cogant, fornicari licet. *Strab.lib.15.*

Brachmanes, Numidæ, & Mauri pro modo facultatum uxores habebant: ita quidem, ut ex divitibus multis denas, pleriſque vicenas habere uxores permiſſum fuerit, *Alex. ab Alex. lib.2.cap.24.*

Uxores ducere quam plures, Perſis receptus eſt mos: verùm pellices alere non pauciores: atque id quærendorum liberorum gratia, & ſobolis propagandæ: quando & reges quotannis præmia in eos conferunt, quibus major filiorum numerus. *Cælius lib.18.c.17. A. L. ex Strabone l.15.* Eorum Reges plures habent uxores, quæ per vices in orbem noctes ſortiuntur regias. *Herodotus lib.2.*

Carius Perſarum rex factus duas Cyri filias duxit, Atoſſam,

ſam, quæ Cambyſi fratri, & rurſus Smerdi mago nupſerat, & Artyſſonam virginem. Præterea alteram Smerdis Cyri filiam Parmin: Item filiam Otanis Phænydam, quæ Smerdem magum prodiderat. *Herodotus lib.3.*

Parthi uxores ſinguli plures ducunt, nec ullum gravius flagitium, quàm adulterium vindicant, ob id feminis virorum conſpectum interdicunt. Quidam ajunt, & in his *Strabo*, conjuges amicis in matrimonium tradere, ex quibus liberos ſuſtulerunt. *Strabo.lib.6.En.6.*

Proprium Medorum regum fuit, plures uxores ducere: & mox in privatos translatum, ut minus ſeptem habere non liceret. Pulchrum & feminæ multos habere viros, pauciores quinque calamitatem arbitrati. *Sab.lib.2.En.2.*

Ægeus Athenienſium rex primam Opletis filiam in matrimonium cepit: poſt unam filiarum Chalcedontis: quas ambas, cùm amicis dediſſet, cum multis ſine matrimonio conjungebatur. Pithei poſteà Æthram aſſumpſit, poſt hanc Medeam. Theſeus Ægei F. rapuit Helenam, mox Ariadnam. *Hiſtor. rerum Atticarum lib.*14. ubi mulieres Theſei enumerat, alias earum, inquit, ex amore illi adhæſiſſe, alias ex furto, alias ex legitimis nuptiis. Ex rapina quidam Helenam, Ariadnam, Hippolitam, Cercyonis, Siniſque filias: legitimè verò Ajacis matrem Melibœam. Heſiodus addit Hippem, & Æglam, ob quam juſiurandum, quod Ariadnæ juraverat, non ſervavit, ut teſtatur Cercops. Pherecydes Pherebœam etiam aſcribit. Ante Helenam Anaxo rapuit ex Troja: poſt Hippolitam habuit Phædram. *Athen.lib.13.cap.2.*

Darius, qui ab Alexandro fuit debellatus, trecentas, ac quinquaginta pellices in omnia bella circumducere conſueverat: veluti teſtatur *Dicæarchus lib.3. Vitarum Græciæ.*

Philippus Macedo ſemper, dum militaret, uxorem ducebat. Annis viginti, & duobus quibus regnavit, cum uxorem habuiſſet Audatam Illyricam, ex ea Cynam filiam accepit. Duxit & Philam. Cùm verò Theſſalos etiam ſibi conciliare cuperet, filias accepit ex duabus Theſſalis mulieribus, ex Niceſipoli Pheræa, Theſſalonicam; ex Philinna Lariſſæa Arideum. Adeptus eſt Moloſſorum etiam imperium. Cùm Olympiadem in matrimonium cepiſſet, ex qua Alexandrum habuit, & Cleopatram. Cùm Thracem etiam duxiſſet, Thracum rex Cithelas ad eum venit, Medam filiam ſecum ducens, & dona complura, quam adduxit ad Olympiadem. Supra omnes verò Cleopatram Hipoſtrati ſororem, quam amaverat, Atali neptem, ad Olympiadem deduxit, ac per totum vitæ ſuæ ſpacium ſecum habuit. Ex iſtis igitur nuptiis certè, inquit, Atalus, legitimi, ac non etiam nothi reges naſcentur. Id audiens Alexander, Atalum calice, quem in manibus habebat, percuſſit, ac ille poſteà ipſum poculo. Olympias profugit in Moloſſos: Alexander ad Illyricos. Cleopatra filiam peperit Europam. *Athen. lib. 13.cap.2.* Cùm audiſſet ſuccenſere ſibi, quod ſobolem ex pluribus feminis quæreret, Alexandrum: igitur, inquit, cùm multos de regno habeas æmulos, bonum te, & fortem præſta, ne mei cauſa, ſed tui ipſius regnum conſequaris. *Plutarchus in Apophtheg.*

Jaſon Medeæ ſeneſcenti ſuperinduxit Glaucam Corinthiam. *Diod.lib.4.cap.3.*

Lycurgus Spartanis, binas uxores unas ædes incolere, atque in eadem domo, cum uno marito habitare, concedebat. *Alex. ab Alex.lib.1.cap.20.*

Ariſton rex Spartiatarum tres duxit uxores. *Herod. lib.6.*

Anaxandrides rex Spartanorum duas ſimul uxores habuit, ſororis primò filiam: quæ cùm eſſet ſterilis ne genus Euryſthei interiret, Ephororum impulſu alteram duxit, Perinetaden, Demarmeni F. quæ ei Cleomenem peperit, qui ipſi in regno ſucceſſit. *Herod.lib.5.*

Cùm Athenienſes ob civium paucitatem urbem augere vellent, decreverunt, ut unam civem ducerent, atque etiam ex meretricula ſuſciperent liberos. *Suidas in voce* λιπανδρεῖν. Qua de cauſa Socratem tradunt ſimul moroſam illam Xanthippem, & Myrtonem Ariſtidis neptem habuiſſe uxores, non juſti illius, ſed tertii ab illo. Proinde demiranti Alcibiadi, in quem tandem uſum aleret duas mulieres, præſertim rixoſas, nec eas domo exigeret: Hæc: inquit, me domi docent tolerantiam, qua in publico utendum eſt: harum moribus exercitatus, commodior eo ero ad aliorum conſuetudinem. *Aritoteles in lib. de cognatione* ſcribit, quòd Athenienſium cuilibet liceret volenti duas habere mulieres: ex quo cùm Socratis ſæpiùs mentionem feciſſent Comici poetæ, id prætererunt, non prę teriturì, ſi illegitimum id fuiſſet. *Athenęus libro 13. cap.1.& Gellius.*

Uxores duas Euripides habuit: primam quidem Chærinam, Mneſilochi filiam: alteram verò Melito. Putat *Gellius*, uti etiam Athenæus, ambas eodem tempore habuiſſe, quòd id Athenienſium decreto pro frequentanda habitatoribus urbe liceret. Moſopulus verò (ſeu, qui alius eſt, qui Euripidis vitam in ſcholiis conſcripſit) unam poſt alteram commemorat, & ſeorſum. *Lacertius. Giraldus in hiſtoria Poet.*

Dionyſius ſenior dominatu Syracuſarum occupato protinus conjunxit ſibi matrimonio Hermocratis Syracuſi filiam. Hujus corpus nondum ſatis firmata tyrannide rebellantes Syracuſani immanibus, & atrocibus contumeliis affecere: quamobrem ſponte conſcivit ſibi mortem. Recepto inde Dionyſius dominatu, & conſtituto, rurſus duas uxores ſimul duxit, unam ex Locris Doridem nomine, indigenam alteram Ariſtomachen, principis Syracuſanorum filiam Hipparini, qui Dionyſii collega fuit, cùm primùm imperator eſſet, cum libera poteſtate ad bellum deſignatus. Fama eſt autem, cum uno die ambas duxiſſe: neque cum utra concubuerit priore, cuiquam mortalium conſtitiſſe: parem etiam utrique benevolentiam exhibuiſſe perpetuò: una ambas cœnare cum eo conſueſſe, noctibus alternis concubare: quamvis poſtularet plebs Syracuſana externæ præferri civem. Verùm illa hac uſa fortuna eſt, ut maximum ſtirpis filium Dionyſio ediderit: quod peregrinitatem ejus ſublevavit; Ariſtomache verò diù infœcunda cum Dionyſio fuit, cùm cuperet ille ex hac liberos: ut matrem etiam Locrenſis interfecerit, potionatam ab ea criminans Ariſtomachen. Hujus Dion frater in honore ſororis cauſa initio. *Plut. in Dione & Ælia. lib.13. Var. hiſt.*

Demetrius Antigoni, reſtituta Græciæ libertate, Athenis otio indulgens, Euridicen viduam matrimonio ſibi junxit. Fuit illa veteris Miltiadis proneptis, & Opheltæ nuptias Cyrenæorum principis renuerat. Multas uno tempore conjuges habuit: quarum erat maxima in dignatione, & honore Phila, tum propter patrem Antipatrum Macedoniæ regem, tum quod etiam matrimonio juncta fuiſſet Cratero, qui ſummo ex Alexandri ſucceſſoribus deſiderium ſui reliquerat Macedonibus. Lamiam meretricem deperibat. Suſcepta in Peloponneſum expeditione, Deidamiam Pyrrhi Epirotarum regis ſororem duxit. Eaque mortua, regno Aſiæ exutus, Prolemaide Ptolemæi, & Eurydices (quæ Philæ ſoror erat) filiam Seleuci conciliatione ducturus: bello rurſus moto, & Phila humanis exempta, cùm conſpiratione regum exul vagaretur, eam duxit. Progenies ejus per ſucceſſiones regnans deſcendit ad Perſea, in quo expiravit: coque regnante Macedonium ſubjugavere Romani. *Plutarch. in Demetrio.*

Pyrrhus Epirotarum rex uxores negotiorum ſuorum, & potentiæ cauſa ab Antigones (quæ Philippi, & Berenices filia erat) obitu plures duxit. Nam Autoleonis Pęoniæ regis filiam nuptiis ſibi junxit: Bircennam Bardyllis Illyrii, & Lanaſſam Agatholici, Syracuſani, quæ in dotem attulit ei oppidum Corcyram ab Agathocle captum. Lanaſſa Pyrrho, quòd plus deditus barbaris uxoribus eſſet, infenſa Corcyram receſſit, cupidaque regii connubii accivit Demetrium Poliorcetem, facilem ſciens præter alios regis ad nuptias contrahendas. Ille Corcyram navigavit, junctaque matrimonio Lanaſſa, præſidium reliquit in oppido. *Plutarch. in Pyrrho.*

Herodes, Judæorum rex, Mariamnen Alexandri Ariſtobuli F. filiam uxorem habuit formoſiſſimam, & ex ea ſuſcepit filias duas, filios totidem Ariſtobulum, & Alexandrum. Pręter hanc regio ortam ſanguine, novem alias habuit. Una erat Doris Antipatri mater, altera ſummi Pontificis Simonis filia, ex qua puer Herodes natus eſt. Erant inter has & fratris filia, & conſobrina, ſed ſteriles: Præterea Marthace Samaritis, & ex ea liberi Antipas, & Archelaus, & Olympias filia, quam poſteà duxit regis fratruelis Joſephus. Archelaus autem, & Antipas Romæ apud privatum quendam amicum educabantur. Ex Cleopatra etiam Hieroſolymitana Herodem genuit, & Philippum, qui & ipſe Romæ educabatur. Ex Pallade autem Pſaſelum: ex Phædra item, & Elpide filias habuit Roxanam, & Salomen. *Joſephus lib.1.c.1. Antiq.*

C. Jul. Cæſar decrevit, ut liberorum quærendorum cauſa quot vellet quiſque Rom. uxores ducere poſſet. Id quod etiam apud Siculos, & Athenienſes in uſu fuiſſe legimus apud *Alex. ab Alex. lib.1.c.24.*

M. Antonius Triumvir primùm, quod erat apud

Romanos inauditum, duas ſimul accepit uxores. Octaviam Octavii ſororem, & Cleopatram reginam Ægypti. Deinde civem, & juſtam uxorem expulit domo, quòd peregrinæ, & illegitimæ indulgeret. *Plut. in Vitis.*

Fertur Valentinianus I. Imp. Juſtinam ab uxorem impenſiùs à forma laudatam, illi uxorem ſuperduxiſſe, lata priùs lege, ut procreationis cauſa liceret duas habere uxores. Ex recentiore connubio ortus Valentinianus junior, ex priore Gratianus. *Sab. lib.9. En.7. ex Socrate lib.4.c.31.*

Hugo, Italiæ rex, præter conjugem ſum multas alebat concubinas: ex quibus tres in primis deperibat, quas dearum nominibus appellabat, Veneris, Junonis, & Semeles. *Luitprandus lib.4. cap.6.*

Britanni uxores habuiſſe traduntur deni duodenique inter ſe communes, præcipuèque cum fratribus fratres, ac cum liberis parentes, Nati inde iis adſcribebantur, à quibus virgo adducta primùm. *Cælius lib.18.c.21. A.L.*

Fuit jam inde à principio apud Scotos inſtitutum, ut liceret unicuique plures pro opibus ducere uxores, & nobilibus plebejorum uxores habere communes, ac domino loci virginem nuptam vitiare, antequam vir cum ea cubuiſſet. Illa duo ſuperiora religio Chriſtiana ſtatim ſuſtulit, atque eam Scoti ſunt complexi: iſtud ſuperius longo poſt tempore Malcolmus II. rex, ſanctiſſ. Margaritæ uxoris hortatu, extirpavit, faciens, ut virgo nupta numumm aureum pudicitiæ redimendæ cauſa domino loci penderet: id quod etiam nunc ſervatur *Polydorus lib.10.*

Apud Thraces quilibet tres, aut quatuor uxores ſibi matrimonio jungit, nonnulli etiam triginta, iiſque tanquam famulis utuntur. Nuptiæ ex abundantia fiunt, perque circuitum quaſi cum illis concumbunt. Quòd ſi qua diſſenſio oriatur, parentes numerato, quod acceperunt, precio, filiam ad ſe recipiunt. Nam accepta mercede ſolent eas elocare. Poſt mortem viri tum aliam, tum uxores quoque ad ipſos hæreditate perveniunt. *Heraclides in Polit.* Certant inter ſe memorabili certamine, ſi viro contingat hominem exuere, quam is dilexerit plurimùm. Victoriæ præmium mors, & commune conditorium: reliquis miſeriam inſigniter defluentibus. *Cælius lib.18. cap.23. Antiq. Lect.*

Pæones, Praſiadem paludem incolentes, plures uxores ducunt. *Herodotus.*

Germani olim licet ſingulis uxoribus contenti eſſent, nobiliores tamen plures habuerunt, pro decore familiæ, & majeſtate. *Alex. ab Alex. lib.1.c.24.*

Saxones duas ſimul uxores, aut plures olim ducebant: id quod Gregorius II. Pp. in epiſtola ad Bonifacium primùm legatum Apoſtolicum in Germania jubet abrogari.

Amlethus Jutiæ rex, Fengone patruo cæſo paternam necem ultus, in Britanniam ad ſocerum redierat. Britannus cum Fengone jam olim pactus, ut alter alterius mortem ulciſceretur: ne tamen hoſpitalem fidem in genero violaret, honeſto legationis prætextu ad Scotos illum ablegat, ut Hermutrudæ reginæ nuptias ſibi impetraret, procos ſuos extremo ſupplicio afficere ſolitæ. Amlethus ſocero obſecutus, cùm propè arcem reginæ veniſſet, ſub meridiem in prato propè rivulum obdormit, Regina decem ſtipatores exploratum mittit. Quorum unus clypeum Amlethi (in quo mira arte vindictam de Fengone ſumptam exculpi curaverat) quæ capiti dormiturus ſubiecerat, ſubmovit: regis quinetiam Britanni literas pari calliditate ſubduxit. Regina Amlethi ex clypeo cogniti amore ardens, literas inducit, novas ſubiicit, quaſi Amletho non ſibi, rex Britannus Hermutrudæ connubium expeteret. Mox exploratores ſcutum referre, literaſque loco ſuo reſtituere jubet. Intereà Amlethus clypeum capiti fraude ſubductum expertus, clauſis de induſtria oculis quietem ſimulat. Speculatorem inde ſcutum, ac epiſtolam priſtino loco reponere cupientem corripi, & excitatis comitibus, ad reginam amantem venit, ab eademque in thori, regnique conſortium accipitur. Redeunti Britannici regis filia occurrit: quæ quanquam ſe ſuperductæ pellicis injuria læſam quereretur, indignum tamen judicans conjugali amori pellicis odium anteferri, marito ſoceri inſidias detexit. Amlethus ſocerum inſequentem fugiens, multis ſuorum amiſſis, poſtero die cadavera cæſorum ſtipitibus affixit, & juſti exercitus ſpecie Britannos territos inſecutus, regem occidit, & cum utraque conjuge in patriam rediit. *Saxo lib.4.*

Pretejannes Æthiopum rex, Chriſtianus, quatuor uxores finitimorum regum filias connubio ſibi jungit, ſed cum una ritè, & ſanctiùs deſponſata cubat: quæ ſi ſterilis evadat, una è cæteris regium thorum ſubit. *Sab. ſupplem.l.8. ex Jovio.*

Mauruſiis Afris lege licitum fuit, qninquaginta feminas ſimul habere, Chriſtianam autem uxorem nulli habere licuit. *Evagrius lib.6.c 21.* Iidem Chriſtianis militibus objecere, probri loco quòd unicam tantùm ipſis licitum eſſet conjugem ducere. *Procopius belli Vandalici lib.4.*

Mahometus Turcarum legislator ſtatuit uxores quatuor de cognatione propria ſingulis: concubinas autem tot, & ſervas emptitias, quot pro facultatibus habere liceret repudio, atque divortio ſemper admiſſo: quo faciliùs rudem, ac imperitum populum ad ſe traheret. Zelotypi adulteras capite plectunt: mancipiis pro libidine utuntur. Licit unicuique Turcarum ſecundùm legem duodecim habere uxores legitimas, ancillas verò ſine numero quot libuerit. Et ſecundùm eandem legem omnes filii, & filiæ ancillarum habentur æqualiter hæredes, cum uxorum. Solent enim pluribus in locis, ac villis ſingulas habere uxores. Nam ob inquietudinem, ac jurgia, raro in una domo duæ ſimul manent uxores. Poſſunt autem dimittere uxores quando volunt: quoniam vinculum matrimonii, quod ſuo idiomate Kebni vocant, in poteſtate viri eſſe dicunt, non mulieris. Intervenit tamen etiam ſacerdotis auctoritas.

Æqualiter penè etiam omnibus utuntur, ſuſcipiendæ prolis gratia. *Cuſpinianus. Æneas Syl. c.56. hiſt. Boem. & Pollyd. lib.7. de rerum invent.*

Comes Gleichenſis, cùm in expeditione Palæſtina Friderici II. regis Ungari anno 1217. captus eſſet, à filia cujuſdam Baronis amari cœpit, quæ etiam liberationem illi pollicita eſt, ſi conjugium ipſi promittere vellet. Oblatam libertatis ſpem non negligendam quidem Comes duxit, ſed domi reliquiſſe conjugem oſtendit. Puella nihil territa mentione conjugis, alteram ſe velle uxorem eſſe profitetur. Res venit ad pactionem. Mox oſtendit puella elabendi occaſionem, & cum novo ſponſo iter ingreditur. Ventum eſt Romam, & à Pontifice impetrata abſolutio à bigamiæ peccato, domum ubi rediit Comes, ſolus primùm ad conjugem ingreditur, ſalutat, & amanter ab ea accipitur. Non multò poſt, quomodo ſe res habeat exponit, & alteram ſe adducere uxorem narrat, cujus beneficio ſalutem, & vitam retinuerit. Quòd ſi vivum ſe libenter ferat, ut Saracenicam uxorem, per quam ſervatus ſit, unà ferat, contendit. Hæc lubenti animo ſe facturam indicat. Statim ergo Saracenica conjux introducitur, & à Turingica non ſolùm admittitur, ſed amatur etiam, & colitur.. Forma antecellebat Saracenica, ſed formam penſabat fœcunditas Turingicæ. Erat enim ſterilis Saracenica. Itaque ſobolem ex conſorte thori conceptam æquè diligebat, & fovebat, ac ſi propria eſſet. *Hæc ex Chronico Thuringico.* Effigies hujus comitis cum utraque uxore inciſa lapidi extat in templo montis Petrini Erfurdiæ. *Matth. Dreſſ. Mill.6.*

Quando verò ceſſaverit in fideli populo Polygamia plurium uxorum, non conſtat ex ſacra Scriptura. In nova lege nunquam uſurpatam, clarum eſt. Neque etiam expreſſis verbis vetatur. Sed jam traditione extrà omnem uſum erat. Hinc & Chriſtus, & Apoſtolus, ſemper loquuntur in ſingulari, dę uxore.

Mulier pluribus ſimul nubit.

Apud Perſas, Medoſque mulieres quampluribus nubere licebat: quæ paucioribus quinque viris nupſiſſet, agreſtis habebatur, & ſordida *Alex. ab Alex. lib.1.c.24. & Cælius lib.18. cap.29. Antiq. Lect.*

Britannorum mulieres olim uno tempore denis, & ampliùs viris matrimonio locabantur, habebantque eas fratres cum fratribus communes, parentes cum liberis: ac ſi qui ex his nati eſſent, liberi habebantur. *Cæſar in Com.*

Arete vivo Dione marito exule nubere coacta Timocrati. *Plut. in Dione.*

Meſſalina Claudii Cæſaris uxor, non ſatis habebat adulteria committere, & ſcortari, ſed cupivit etiam pluribus viris juſtis, & legitimis nubere. Itaque nupſit Cajo Silio, harumque nuptiarum cauſa convivium magnificum, & ſumptuoſum fecit, eique regiam donavit, in qua congeſſit omnes Claudii theſauros pretioſiſſimos, eumque extremum conſulem deſignavit. *Xiphilinus in Claudio.*

Heliæ protoſpatharii Uxor coquo Indo nubere à Juſtiniano II. Imp. coacta, vivente marito. *Cuſpinianus.*

Guido Montisferrati Comes concubinam ſuam ſuppoſuit cuidam juveni liberorum deſiderio. *Fulgoſius lib.9. cap.15.*

Jacobina, vivo Joanne duce Brabantiæ marito, Humfredo A Gloceſtrenſi duci, & Angliæ rectori nupſit. *Polyd. l.23.*

Vir nuptias repetit, tertias, vel mortua, vel repudiata, vel alteri conceſſa priore Uxore.

☞ *Conſule Tit. Divortii, quatenus ſecundas, tertias, quartas nuptias continet.*

Abraham non libidinis, ſed procreationis cauſa dedit concubinam Agar ancillam Sara uxor. Poſt Saræ mortem duxit Abraham uxorem Cethuram, ex qua geniti filii dicuntur filii concubinarum, quos cum muneribus in Orientem ablegavit. Et licet Cethura uxor fuerit juſta, concubina tamen nominatur, quoniam ſola Sara ſemen benedictionis continebat. Myſterium ſubeſt: Abrahæ filii ſpirituales, ex Sara: carnales ex Agar, Ethnici: ex Cethura, Judæi carnales, & hæretici. Fortè etiam hoc proviſum eſt contra hæreticos futuros ſecundarum adverſarios nuptiarum, ut in ipſo patre multarum gentium, poſt obitum conjugis iterùm conjugari, demonſtraretur non eſſe peccatum. *D. Aug. l.16. de Civ. Dei, c.34.*

B M. Cato cùm firma foret valetudine, duxit juvenem uxorem præter ætatem ſuam, ex cauſa hujuſmodi. Defuncta uxore, filio deſpondit Pauli filiam, ſororem Scipionis, ac celebs cum puella, quæ commeabat ad eam occultè, conſuetudinem habebat. Ea cùm aliquando audaciùs, præter thalamum filii, in cubiculum Catonis irrumperet, adoleſcens verbum quidem nullum fecit, ſed rumore perfuſus toruè eam aſpexit: quæ res non fuit clàm ſene. Ut ergo eos animadvertit offendi, nihil incuſans, aut queſtus, ſed progrediens ad forum, Salonium quendam, qui ſcriba ejus fuerat, alta voce appellat, rogatque Ecquid filiam elocaſſet? Quo negante: Atqui ego, inquit, commodum generum tibi inveni: nihil herclè diſpliceat ætas: nullaque interpoſita mora ſibi ipſi aperit puellam petere. Hìc attonitus eo ſermone homo, accepit conditionem libens. Conquerenti autem filio: Bona verba, inquit, fili, omnia facta tua grata mihi ſunt, neque quod querar, quicquam habeo: ſed plures cupio mihi filios, & cives patriæ relinquere tui ſimiles. Hanc ſententiam ferunt priùs Piſiſtratum uſurpaſſe Athenienſium tyrannum, cùm adultis filiis ſecundam uxorem duxiſſet Argolicam Timonaſſam: ex qua Jophontem, & Theſſalum fama eſt genitos fuiſſe. Ex his nuptiis C natus Catoni eſt filius, cui à matre agnomen Salonium reddidit. *Plut. in Catone.*

L. Corn. Sylla quinque uxores duxit. Primam habuit admodùm adoleſcens Iliam, quæ filiolam ei edidit: ab ea Æliam, Cæliam tertiam, quam ut infœcundam miſſam fecit, ſed citra notam, & probrum: additis & muneribus. Verùm quòd paucis diebus pòſt Metellam duxit, apparuit eum immeritò illam cauſam in Cæliam prætendiſſe. At Metellam coluit omnibus in rebus conſtantiſſimè. Unde populus Romanus, cùm revocare exules Marianos deſideraret, renuente Sylla, recurrit ad Metellam, eamque appellavit. In Athenienſes quoque, quod Metellam ex muro perſtringentes fuiſſent inſectati convitii, capta urbe conſuluit duriùs. Hæc cum geminos ei edidiſſet, filium Fauſtum, filiam Fauſtam appellavit. Cùm epulum populo præberet, decimis ſui patrimonii Herculi voti, deceſſit ex morbo Metella. Quia verò vetuerunt ſacerdotes ei illam adire, vel funere domum ejus pollui: miſit ei libellum repudii Sylla, juſſitque ſpirantem adhuc in aliud D domicilium transferri. Paucis intercedentibus menſibus ludi gladiatorii edebantur, nondum diſcretis cuneis, ſed cùm in promiſcuo etiam tum viri feminæque ſpectarenr. Sedebat autem fortè propè Syllam eleganti mulier forma, & genere illuſtri: Meſſalæ filia erat, ſoror Hortenſii oratoris, Valeria nomine, quæ nuper fortè diverterat à viro. Ea præteriens à tergo Syllam, extendit in eum manum, floccoque ex toga ejus avulſo tranſiit in locum ſuum. Cùm eam Sylla intueretur, mireturque: Nihil eſt, Imperator, inquit, quod te moveat: ſed cupio ego quoque tantillum conſors fieri felicitatis tuæ. Fuit id non ingratum auditu Syllæ, verùm confeſtim prodidit nonnihil ſe titillatum. Siquidem miſit clanculum certos, per quos nomen, natales, & mores ejus diſceret. Hic oculorum invicem annictus, aſſiduæ, ac leves in ſe mutuò vultus converſiones, riſus, adjectiones, ſponſalia denique & pacta connubialia. Atqui quamvis hanc haberet domi, cum mulieribus tamen mimis, cithariſtriiſque, & thymelicis vivebat, de die cum iis in lectis potans. Valeria peperit poſt exceſſum ejus filiam Poſthumiam. *Plut. in Sylla.*

Cn. Pompejus, ſub recentem patris Strabonis mortem ejus nomine peculatus fuit poſtulatus. In judicio autem acrem ſe & ſupra ætatem conſtantem probans, tantùm nomen, & favo- E rem comparavit, ut prætor Antiſtius, ejus judicii, quæſitor, Pompejum in oculis ferret, filiamque ſuam ei nuptam offerret, deque ea re ageret cum amicis ejus: quam conditionem accepit Pompejus. Quamvis autem facta in arcano eſſent ſponſalia, non fefellit res tamen propter ſtudium in eum Antiſtii plebem. Tandem cùm ſententiam, qua judices Pompejum abſolverent, pronunciaſſet: populus quaſi ſigno dato acclamavit illud, quod de more antiquitus in nuptiis acclamari ſolet, Talaſſio. Poſtquam rerum in Italia Sylla potitus, atque dictator eſt dictus: cæteros remuneravit legatos, & duces ſuos opibus augens eos, ad honores provehens, largienſque cumulatè, & liberaliter ea, quæ quiſque poſtulabat: Pompejum verò, qui ſeſe ei cum tribus legionibus à Piceno adjunxerat, ſuſpiciens, magnumque ducens rationibus ſuis præſidium elaboravit quovis modo eum propinquitate ſibi conglutinare. Comprobante id uxore ejus Metella, induxerunt Pompejum, ut dimiſſa Antiſtia, privignam Syllæ Æmiliam, Metella, & Scauro genitam, duceret uxorem, quæ alteri jam nupta uterum tunc gerebat. Fuerunt tyrannicæ hæ, atque Syllę F potiùs temporibus, quam Pompeii congruentes moribus nuptiæ: dum gravida Æmilia ab altero ad illum abſtrahitur, & expellitur Antiſtia ignominioſè, miſerèque, ut quæ patre quoque nuper viri cauſa orbata eſſet. Antiſtius enim, quod Pompeii cauſa ſtare ab Sylla putaretur, fuit in curia interemptus, Mater ejus hoc videns, mortem ſibi ultrò conſcivit. Ita hæc quoque iſtarum nuptiarum tragœdiæ acceſſit calamitas, & verò etiam mox parientis apud Pompejum interitus Æmiliæ. Mutiam inde duxit, quam ex Aſia reverſus propter impudicitiam repudiavit. Catonis ex fratre neptem ambiens repulſam tulit. Reverſo ex provinciis Cæſare, ejuſque opera cum M. Craſſo reconciliatus, ut ambitionem ſuam firmiore vinculo cum Cæſare connecteret, Juliam Cæſaris filiam Cæpioni pactam, & nupturam intra paucos dies nemine expectante duxit. Ad leniendam verò Cæpionis iram filiam ſuam deſpondit ei, Fauſto Syllę filio antè deſtinatam. Uxoris aut juvenculæ emollitus amore Pompejus, ferè aſſiduus cum ea ruri, & in hortis egit: poſt miſit etiã negotia forenſia. Unde Clodius, qui tribunus blebis tum erat, ejus contemptu accinxit ſe ad audaciſſima quęque. Mortua ex partu Julia, uxorem duxit Corneliam, Metelli Scipionis filiam, viduam nuper relictam à Publio Craſſi filio, cui collocata virgo fuerat apud Parthos interfecto. Ei præter ætatis G florem multæ veneres inerant. Nam literis, lyra, muſica, & geometria erat exculta, præceptiſq; non ſine fructu imbuta philoſophicis. His accedebat morum gravitas, ab omni acerbitate, & curioſitate aliena: quibus ſcilicet illæ diſciplinæ imbuunt juvenculas. Pater genere, & exiſtimatione non pœnitendus, Veruntamen non placebant quibuſdam intempeſtivæ hæ nuptiæ, quippe erat Corneliæ Pompei filio maturius matrimonium. Bello civili contra Cæſarem ſuſcepto eam cum filio Mitylene loco ſecuro, & amœno depoſuerat. Fugiens ex acie Pharſalica comitem eam errorum habuit. Alexandriam ad Ptolemæum proficiſcens, eique vale dicto, in ipſius oculis ab Achilla trucidatus eſt. *Plut. in Pomp.*

Habuit C. Jul. Cæſar uxores quatuor. Coſſutia prima dicta, dives admodùm, ſed è familia equeſtri, puero penè adhuc Cæſari deſponſata fuit: quam per renunciationem in ſponſalibus dimiſit. Secunda Cornelia Cinnæ quater conſulis filia fuit, ex qua Juliam filiam genuit: quam in uxorem Cn. Pompejo dedit poſt reconciliationem: licet anteà Servilio Cępioni hanc deſpondiſſet, cui Pompeii filiam, etiam Syllæ filio Fauſto deſ- H ponſatam, collocavit. Hanc Cornelium Cæſar mirùm amavit: utque eam repudiaret, nulla re à Sylla dictatore perſuaderi potuit, immò & defunctam pro Roſtris laudavit oratione cultiſſima: magnam hinc popularem benevolentiam aſſecutus. Ejus etiam fratrem L. Cinnam, qui in civili diſcordia Lepidum ſequutus exulaverat, reduxit. Tertia uxor fuit Pompeja Q. Pompeii filia, Syllæ neptis: quam repudiavit, divortiumque fecit, ob P. Clodium muliebri habitu in ſacris Bonæ deæ deprehenſum, qui eam ferebatur adulteraſſe. Quartam duxit Calphurniam, L. Piſonis filiam, qui ſe in conſulatu ſequebatur. Hæc multùm Cæſarem amavit, plurimumque eo die, quo in ſenatu occiſus eſt, ſomnio territa (nam maritum in gremio ſuo confodi ſomniabat) hortari cœpit, ne curiam ingrederetur. Poſt Cæſaris verò cædem, ad ædes M. Antonii ſe contulit, pecuniamque à Cæſare relictam penes eum depoſuit, quatuor millium talentorum. Ex Cleopatra Ægypti regina, cujus blanditiis captus fuit, dum Alexandriæ fuit, Cæſarionem filium ſuſcepit. *Plut. in Cæſare, & Suet.*

M. An-

M. Anton. uxorem ſuam, C. Antonii, Ciceronis colle- A gæ, filiam, patruelem ſuam, repudiavit, ob ſuſpicionem adulterii cum Dolabella commiſſi. Inde Fulviam Clodii plebis concitatoris viduam uxorem duxit, mulierem non ad lanificium, aut ad rei familiaris adminiſtrationem factam, neque in virum contentam dominari privatum: ſed quæ imperanti imperare, & ducem volebat ducere: ut mercedem Fulviæ: quòd ancillari Antonium docuiſſet feminis, dubuerit Cleopatra: quæ planè cicurem, atque à tyrocinio inſtitutum ad obtemperandum mulieribus accepit. Victis Bruto, & Caſſio, cùm in orientem profectus, Cleopatræ amoribus faſcinatus eſſet, & interim Fulvia, orta cum Cæſare Octavio diſſenſione, Italia pulſa, Sicyone ex morbo diſceſſiſſet: cum Octavio reconciliatus, arctioris vinculi cauſa ejus ſororem duxit Octaviam, quam Cæſar mirificè diligebat. Hæc C. Marcello, cui nupſerat, non ita dudum defuncto vidua erat. Has nuptias ſuaſerunt omnes: quod Octaviam ſperarent, quæ excellentiæ formæ gravitatem, & prudentiam habebat adjunctam, ubi Antonino conjuncta eſſet, atque ut talis femina haud dubiè ab eo adamata, omnium rerum ipſis B ſalutem, & concordiam allaturam. Ubi placuit utrique conditio, Romam profecti ſunt ad Octaviæ nuptias celebrandas. Quia verò vetabat lex, ne qua mulier, niſi exactis à morte viri decem menſibus, nuberet, tempus eſt eis ſenatuſconſulto remiſſum. Ex ea liberis ſuſceptis, in orientem profectus, Cleopatræ illecebris ita dementatus eſt, ut non modò Parthico bello turpem ſe dederit, verumetiam 14. ferè annis cum ea volutatus, Octaviam Romæ domo expelli curaverit, & hinc bello civili orto, ad Actium turpiter victus, in ſcorti amplexibus vitam impuriſſimam ignaviſſimè depoſuerit. *Plut. in Antonio.*

Auguſtus Cæſar primam ſponſam adoleſcens habuit, P. Servilii Iſaurici filiam. Sed poſt reconciliationem in triumviratu cum M. Antonio, ut neceſſitudine aliqua necterentur, privignam ejus Claudiam, Fulviæ ex P. Clodio filiam duxit vix dum nubilem: ſed poſt ſimultatem cum Fulvia ſocru inchoatam ante bellum Peruſinum, aut ex alia obſcena re, quam Auguſtus quodam epigrammate explicuit, intactam adhuc virginem dimiſit. Tertiò, Scriboniam de familia Libonum C in matrimonium accepit, nuptam antè duobus conſularibus viris, & ex altero matrem etiam. Ex hac Juliam filiam genuit, quæ primùm Marcello Octaviæ ſororis ſuæ filio vix pueritiam egreſſo nupſit: ſed eo mortuo M. Agrippæ dedit, interceſſione ſororis ſuæ. Nullam autem è ſobole felicitatem, quam ex Scribonia habuit, ſortitus (Cajus enim, & Lucius, & Juliæ, & Agrippæ filii, ab Auguſto adoptati foris periere: Agrippa poſthumus in inſulam tranſportatus eſt) pertæſus etiam morum perverſitatem, divortium fecit, ac ſtatim Liviam Druſillam, quæ ex Tiberio Nerone jam gravida erat, illo concedente, quartam duxit uxorem: cujus filii erant Tiberius, & Druſus: dilexit eam unicè, ac perſeveranter: ſed nihil liberorum ex ea tulit, cùm maximè cuperet. Poſt tertium enim menſem peperit Druſum patrem Claudii Imp. ut proverbio diceretur, *τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία*, Felicibus etiam trimeſtres naſcuntur filii, cùm ſuſpicio eſſet, eam priùs ex Auguſto per conſuetudinem adulterii, antequam duxiſſet uxorem, imprægnatam. Unde Tiberius privignus eſt dictus Auguſti. *Suetonius.*

Cajus Cæſar plures habuit uxores. Ante initum principa- D tum habuit Juniam Claudillam, M. Sillani nobiliſſimi viri filiam, quam ex partu amiſit. Claudiam appellat Tacitus. Dehinc Enniam Næviam Macronis, qui cohortibus prætorianis præerat uxorem ſollicitavit ad ſtuprum, aſſentiente tamen marito matrimonium & jurejurando, & chirographo promittens: quare in amicitiam per hanc venit cum Macrone, qui poſteà Tiberio, juſſu Caii, Venenum porrexit: adeò uterque in necem Tiberii laborarant. Poſt adeptum autem imperium accepit Liviam Horeſtillam, C. Piſoni priùs nuptam, quam è convivio abduxit, & manè gloriatus eſt uxorem inſtar Romuli ſibi eſſe repertam. Hanc intra paucos dies repudiatam, biennio poſt relegavit: quod reperiſſe prioris mariti Piſonis uſum medio tempore videbatur. Quartam dehinc uxorem duxit Lolliam Paulini M. Lollii, Caii filii, Auguſti rectoris filiam, antè C. Memmio nuptam, quæ conſularem exercitum regebat. Cùm facta fuiſſet mentio aviæ ejus, ut quodam pulcherrimæ ſubitò, provincia evocavit, ac perductam à marito conjunxit ſibi, brevique miſſam fecit, interdicto cujuſquam in perpetuum coitu. Tandem Cæſoniam accepit, luxuriæ perditæ mulierem, quæ jam ex alio viro tres habuit filias, neque pulcram, neque juvenem. Hanc tanto ardore amavit, ut pelta, & galea armatam, juxta ſe adequitantem militibus oſtenderet, E amicis verò nudam. *Suetonius.*

Claudius Cæſar habuit admodùm adoleſcens ſponſas duas Æmiliam Lepidam Auguſti proneptem, ex Paulo Æmilio Cenſoris filio, & Julia nepte: Hanc virginem repudiavit, quod L. Paulus Auguſti progener, qui pater fuit hujus Æmiliæ Lepidæ, conjuraverat in Auguſtum: cujus conjuratio priuſquam invaleſceret indicio detecta, ab Auguſto compreſſa eſt, alteram ſponſam habuit Liviam Medullinam, cui cognomen & Camillæ erat, è genere antiquo dictatoris Camilli: quem eo ipſo die, qui nuptiis erat deſtinatus, ex valetudine amiſit. Deinde uxores duxit Plauciam Herculanillam, triumphali patre natam, cum qua divortium fecit ob libidinum probra, & homicidii ſuſpicionem. Genuit tamen ex ea filium Druſum Pompejum (quem puberem amiſit, jactu Pyrri crudeliter enecatum: cui antè paucos dies mortis ſuæ, filiam Sejani deſponderat) & filiam Claudiam, ex liberto ſuo Botere conceptam, quamvis ante quintum menſem divortii natam, alique cœptam, exponi tamen ad matris januam, & nudam juſſit abiici. Tum Æliam Petinam, ex Tuberonum familia, natam patre conſulari, ex qua Antoniam filiam ſuſcepit, ob leves F offenſas repudiavit, & Valeriam Meſſelinam, Barbati Meſſalæ conſobrini ſui filiam duxit. Juravit dehinc ſe permanſurum in cœlibatu Claudius, ſed duravit minimè. Nam conſilio Narciſſi Æliam Petinam, ex qua Antoniam genuerat, quæ Cn. Pompejo Magno, qui confoſſus eſt, deinde Fauſto Syllæ nobiliſſimis juvenibus collocata eſt recipere cogitavit. Conſilio autem Calliſti Lolliam Paulinam, C. Cæſaris uxorem, quòd abſque liberis eſſet, ducere cogitavit, quæ poſt Agrippinæ nuptias, juſſa eſt Italia decedere. Prævaluit tamen Pallas libertus, qui ſuaſit, ut Juliam Agrippinam, Germanici fratris filiam, quæ Domitio Ænobarbo nupta, Cl. Neronem (quem poſteà Claudius adoptavit) peperit, uxorem duceret, quæ illecebris etiam blandiſſimis, ac jure oſculi, quo cognati utebantur, in amorem ſui pellexit Claudium, inceſtas nuptias celebraret. *Idem.*

Habuit Nero uxores tres, primam Octaviam, filiam Claudii principis, quam pater Neroni deſpondit poſt matrimonium Agrippinæ. Hujus conſuetudinem citò aſpernatus, corripientibus amicis, ſufficere illi debere reſpondit uxoria ornamenta. G Eandem mox ſæpè fruſtra ſtrangulare meditatus, dimiſit ſterilem. Sed improbante divortium populo, relegavit primùm in Campaniam, dehinc in inſulam Pandateriam. Non alia exul femina viſentium oculos (tradit Cornelius) majori miſericordia affecit. Dehinc ei adulterium obiiciens, multos ſubornavit, quos etiam tormentis compulit, ut Octaviæ adulterium faterentur. Tandem Anicetus à ſe dolo ſtupratam confinxit. Ob id mori juſſa Octavia, venis inciſis. Sed quia preſſus pavore ſanguis tardius habebatur, præfervidi balnei vapore enecatur. Hinc Seneca materiam Tragediæ ſumpſit, cui titulus eſt Octavia. Die duodecimo à divortio Octaviæ, duxit Poppeam Sabinam, Titi Ollii filiam, & equiti Rom. Ruffo Criſpino antè nuptam (ex quo filium genuerat Criſpinum, quem Nero occidit) quæ nomen avi paterni ſumpſerat illuſtri memoria Pompeii Sabini, conſularis, & triumphali decore præfulgentis. Huic omnia alia fuere, præter honeſtum animum. Eam unicè dilexit, quia luxuriæ magiſtra ſingularis erat. Sed gravidam ictu calcis afflixit. Tulit ex ea filiam Claudiam Auguſtam, quam intra quartum menſem amiſit. Cùm deinceps Antoniam filiam Claudii ex Petina (quæ H uxor fuit Cornelii Syllæ) ſibi jungere peteret, recuſantem, juſſit occidi: ac deindè Statiliam Meſſelinam, Tauri bis conſulis, ac triumphalis abneptem, tertiam uxorem duxit. Qua ut potiretur, virum ejus Atticum Veſtinum conſulem ipſum in honore ipſo trucidavit. *Cuſp.*

Heliogabalus Imperator impuriſſimus duxit, *teſte Herodiano*, uxorem illuſtriſſimam feminam, quam etiam Auguſtam appellavit: cum ea tamen paulò poſt divortium fecit, ademptiſque honoribus privatam colere vitam juſſit. Poſt Veſtalem virginem abreptam templo pro uxore habuit: Senatum per epiſtolam conſolatus, humanum eſſe id peccatum, captum ſe illius amore. Cæterùm ſacerdoti Solis congruere ſacerdotis Veſtę nuptias, ob idque etiam auguſtiores futuras. Sed eam quoque paulò poſt dimiſit, tertia uxore ducta, quæ referre ſuum genus ad Commodum dicebat. Sed neque hanc diù ſervavit. Famoſiſſimam quandam meretricem centum redemit Seſtertiis, eamque veluti intactam virginem coluit. *Lampridius.*

Valentinianus I. Imp. duas habuit uxores: Severam, ex qua Gratianum Imperatorem genuit: & Juſtinam, quam ob nimiam

pulchri-

pulchritudinem, commendante ità Severa priore conjuge, A etiam duxit: hæc filia fuit Juſti, qui judex Piceni fuerat temporibus Conſtantii. Is cùm ex dextro ſuo femore imperialem purpuram ſe genuiſſe ſomniaret, & viſio hæc ad Conſtantium eſſet delata, timens ne ex eo Cæſar naſceretur, Juſtum occidit. Juſtina filia orphana relicta, ob pulchritudinem eſt Severæ uxori Valentiniani conciliata, receptaque in ſummam familiaritatem. In ea dum lavaretur, miram Severa corporis pulchritudinem admirata, marito retulit ſe quoque mulierem illius ſpecie captam. Imperator his verbis allectus eam quoque uxorem duxit, nova lege lata, ut quicumque vellent viri, impunè poſſent duas accipere uxores, ſic enim populoſas fore gentes. Ex qua genuit Valentinianum juniorem, quem Gratianus in conſortem imperii accepit: & tres filias, Juſtam, Gratam, & Gallam. Duæ virgines perſeverarunt, Galla Theodoſio Imperatori nupſit, & Placidiam ei filiam peperit, quæ mater fuit Valentiniani Imperatori. Ex Flacilla priori conjuge priùs Arcadium, & Honorium genuerat. *Cuſp.*

Ante annos plurimos (ſcribit *D. Hieron. ad Ageruchium*) cùm in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ B urbis Epiſcopum, & Orientis, atque Occidentis ſynodicis conſultationibus reſponderem, vidi duo inter ſe paria viliſſimorum è plebe hominum comparata: Unum, qui viginti ſepeliſſet uxores: Alteram, quæ vigeſimum ſecundum maritum habuiſſet: & extremo ſibi, ut ipſi putabant, matrimonio copulatos. Summa omnium expectatione, virorum pariter, ac feminarum, poſt tot rudes uter alterum priùs efferret: vicit maritus, & totius urbis populo confluente coronatus, & palmam tenens, adoranſque ſingulos ſibi acclamantes, uxoris multinubæ pheretrum præcedebat. *Cæl. lib. 14. cap. 8. A. L. & Sigon. l. 8. Imp. occid.*

Rutheni tertiam ducere uxorem vix concedunt, & non admodùm legitimum matrimonium eſſe putant. Quartam verò nec concedunt, neque etiam Chriſtianum eſſe judicant. *Guagninus in deſcriptione Moſchoviæ.*

Leo V. Imperator habuit quatuor uxores. Theophaniam primam, filiam Martinacii patricii, quam invenio à pleriſque dictam Stephaniam, in cujus gratiam D. Stephano templum extruxit. Nihilominus perditè amavit filiam Zantzi Stiliani, C Zoen nomine, & in illius gratiam patrem creavit Dromilogotheten, & nomine novo Baſileo patrem cepit appellare. In agro verſans per Zoen, quæ illum dormientem excitavit, evaſit inſidiatorum manus. Itaque magis in amorem ejus exarſit: & Theophania mortua, eam ex concubina Auguſtam fecit. Sed nondum exacto biennio periit. Duxit inde tertiam uxorem Eudociam ex Opſicio, pulchritudine alias omnes præcellentem, quæ brevi poſt tempore in partu cum fœtu mortua. Rex hæredis cupidus, ex judiciaria didicerat futurum ſibi hæredem filium Imperatorem: eaque ductus perſuaſione, quartam duxit uxorem Carbonopſiam Zoen. Eapropter Nicolaus Patriarcha eum Eccleſiaſtica cenſura notavit. Imperatore, nuſquam in ſacris literis nuptias quartas prohibitas eſſe, affirmante, cùm Nicolaus recuſaret Imperatorem abſolvere, in exilium deportatus eſt: ac parum abfuit, quin decretum fuerit promulgatum, licere cuilibet, exemplo Imperatoris, uxoribus defunctis, ſecundam, tertiam, & quartam ducere. *Zonaras.*

Carolus Magnus Imperator habuit uxores quinque legitimas, Primam Galienam, Galaſtriæ regis Toletani in Hiſpania filiam, ſterilem. Secundam Hetmingardim (alii Theodoram D vocant) Deſiderii Longobardorum regis filiam, quam poſt annum repudiavit, non ſine magna matris indignatione. Tertiam Hildegardim, ducis Sveviæ Hildebrandi filiam, quam mirè dilexit, & tres ex ea filios, Carolum Galliæ citerioris regem, Pipinum regem Italiæ, ducemque Bavariæ, Ludovicum regem Aquitaniæ, & Cæſarem, totidemque filias ſuſtulit, Rotrudim (quæ deſponſata fuerat Conſtant. IV. Græco Imperator ſed mater Irene matrimonium invito filio novas nuptias impedivit, ob quam rem Rotrudis innupta permanſit, neque impari ſe nupturam in animum inducens, neque parem nacta) alteram Bertham: tertiam Giſelam, quæ ſe perpetuæ virginitati devovit. Quartam uxorem accepit Carolus Faſtradam, filiam Ratolfi Comitis Franciæ Orientalis, quæ Seſtrada aliis dicitur, ſuaque crudelitate plus ſatis nota. Ex ea duas tulit filias, Theodoram, & Hildrudim. Poſtremò Luitgardam duxit Suevam, ſterilem. *Cuſpin.*

Habuit Imperator Ludovicus Pius duas uxores. Primam Hetmingardem, filiam Ingrami ducis Saxoniæ, ex qua tres genuit filios, Lotharium primogenitum, quem regem Italiæ in Bernardi locum ſubſtituit, quem Paſchalis Pontifex in Auguſtum inunxit, & qui patri in imperio ſucceſſit: alte- E rum Pipinum, quem pater in Aquitaniam miſit, & illi filiam Theoderici comitis Matricenſis uxorem dedit, ſed ante patrem obiit, relicto filio ejuſdem nominis: & Ludovicum tertiò genitum, qui poſt cognomento Senior dictus eſt, rex Germaniæ, Bavariæ, & Orientalis Franciæ. Alteram Juditham, filiam Vvelforus, primi comitis Altorfenſis in Svevia, ſororem Ethiconis: mulierem forma inſignem, & ingenio præſtantem: è qua ſuſtulit filium Carolum cui cùm plus æquo favere à cæteris filiis ſuſpicaretur, in odium aliorum incidit. Hic eſt poſteà Carolus Calvus dictus Imperator. *Cuſp.*

Fridericus II. Imperator ſex uxores duxit. Primam Conſtantiam, reginam Aragoniæ, ex qua genuit Henricum ducem Sveviæ, & regem Romanorum, & Jordanem, qui puer obiit. Alteram Jolen. Joannis Comitis Brennæ, & regis Hieroſolymitani filiam, quam ei pater, in Europam cum cæteris Chriſtianis principibus reverſus, in matrimonium deſponderat: Cùm Romæ ab Honorio perſuaſus, acceptis muneribus Piſas ſe contuliſſet, ac jus, quod in regno Hieroſolymitano ſibi competebat, dotis nomine donaſſet. Unde perpetuus hæreditario F jure titulus ejus regni ad poſteros provenit, ut reges Neapolitani, Hieroſolymitani quoque appellentur. Ex hac Conradum progenuit Romanorum regem. Tertia uxor Agnes, filia Othonis Moraviæ Ducis. Quæ repudiata, Udalrico duci Carinthiæ nupſit. Quarta Rutina dicta, filia Othonis comitis de Vvolffertzhauſen in Bavaria. Quinta Iſabella, filia Ludovici Ducis Bavariæ, qui in Kelheym oppido cæſus fuit. Sextam ferunt habuiſſe Mechtilpem, Joannis regis Angliæ filiam, quam Pontificis diſpenſatione (quandoquidem affinitatis gradus obſtabat) accepit. E quibus filias quidem, ſed nullos filios procreavit. *Cuſp.*

Uladiſlaus Jagello, Lituaniæ dux, uxore prima Heduige ducta, regnum Poloniæ aſſecutus, ea mortua accepit Annam Ciliæ comitiſſam. Tertias nuptias jam ſenex celebravit, indignas ætate, & dignitate ſua, ducta in Matrimonium Elizabetha Pilecia, Othonis Palatini quondam Sendomirienſis filia, vidua provectæ jam ætatis, & complurium virorum thoros experta. Quartam tandem duxit Sophiam Ruſſam, ex qua liberos mares ſuſcepit tres, jam decrepitus, ita ut pro- G pter ætatem reginæ pudicitiæ malè audierit. *Cromerus lib. 18. & 19.*

Magnus Sfortia, defuncta priori conjuge, Antonia Salimbenia Senenſi, acceſſit ad ſecundas nuptias dira neceſſitate coactus, cùm à Pandulpho Alopo, ærarii regni Neapolitani præfecto, invidia virtutis ejus, & obtrectatione creſcentis apud reginam Joannam gratiæ, in carcerem eſſet conjectus. Neque enim aliter vel placare Alopum, qui cuncta unus totius regni munia uſurparat, aut denique reginæ voluntatem à vindictæ ſuſpicione redimere potuit, quàm Catella Alopi ſorore in matrimonium ducta. Siquidem Alopus præcellenti forma, eruditis mundicitiis, & latere demùm infracto, devictam penitùs, & in ſervitutem (animo ſcilicet muliebri, & impotenti amore facilè ſubacto) redactam, nutibus regebat. Ea affinitas maturatis nuptiis, apparatiſſimè celebrata. Sfortiam haud dubiè è parato jam capitali ſupplicio ſervatum, in libertatem eduxit, levavitque item Alopi animum ingenti metu: cùm meritas illatæ injuriæ pœnas à viro fortiſſimo, & tot militum gladiis inſtructo formidaret. Cæterùm Catella, nihil omninò à fratre præter venuſtatem ad maritum attulit, dote ſcilicet à regina liberaliſſimè collata. Dotali ſiquidem jure quinque ca- H ſtella in Samnio in Sfortiæ ditionem venerunt. Peperit Catella non toto vertente triennio tres liberos, præmiſſa puella, quàm nomine ſuo regina Joannam vocavit: mares item duos, Leonardum ſcilicet, & Bartholum. *Jovius in vita ejus.*

Henricus VIII. Anglorum rex, ut in religione, ſic in conjugio varius, duxit primò Catharinam, Arthuri fratris defuncti viduam, Ferdinandi Hiſpaniæ regis F. & ex ea Mariam ſuſcepit. Sed eam poſt Thomæ Volſæi Epiſcopi Vintonienſis inſtinctu repudiavit, & Annam Thomæ Bulleyne Vicecomitis Rhocofordiæ, quæ reginæ inſerviebat, duxit: & ex ea Elizabetham ſuſcepit. Non multò poſt Anna gravida deprehenſa in adulterio, capite cum ſuis mœchis plexa eſt. Henricus poſteà duxit Joannam filiam Joannis Seymer equitis, forma æquè, ut moribus ornatiſſimam feminam, ex qua genuit filium Edovardum VI. an. 1537. *Polyd. lib. 27.* Hinc Annam Clivenſis ducis ſororem duxit, eademque repudiata, Catharinam Havardam, Norfolciæ ducis è fratre neptem. Biennio poſt eandem quoque capite plectit, quòd cùm eam pro virgine duxiſſet, anteà fuiſſe corru-

corruptam, atque vitiatam comperiſſet. Qui vitiarat, in Hy- A berniam abierat, ibique publici, quid muneris habebat. Revocatus autem ab illa, jam regina, & in familiam adſcriptus, capite mulctatus fuit poſt eam, ut alii quidam, partim ob idem flagitium, partim ob reticentiam. Ea ſublata, ſextam rex duxit Catharinam Parram. *Surius in Commentar.*

Mulier nuptias iterat, priore Marito repudiato, relicto.

Uxores aliis conceſſæ.

Memoriæ proditum eſt, Tapyris urbe Parthiæ morem eſſe, ut proprias uxores aliis viris nuptui concedant, cùm duos, treſve filios ex eis ſuſceperint. *Strabo lib. 11.*

Lacedæmonius ex Lycurgi inſtituto retinens domi Uxorem, priore manente fœdere conjugii, uſum uxoris permittebat ad ſtirpem propagandam exoranti. Multi etiam domum invitabant alios, ex quibus putabant potiſſimùm venuſtos, & probos filios poſſe procreari. *Plut. in comp. Lycurgi, & Numæ.* Itaque Agetus, Alcidis F. jusjurandi ſervandi cauſa Uxorem ſuam Ariſtoni regi Spartanorum conceſſit. *Herod. lib. 6.*

Legibus Solonis ſancitur, ut ſi maritus ad rationem veneream minus potens foret, mariti propinquus illius Uxorem nanciſcatur. Quare Atalus Aſiæ rex, cùm falſus rumor invaſiſſet, Eu- B menem fratrem morte ſublatum fuiſſe, protinus illius Conjugem unà cum regno ſibi vindicavit: deinde Eumene ſuperſtite, uxorem illi ſimul, & regnum reſtituit. *Alex. lib. 1. cap. 24.*

Sic etiam Socrates Xanthippen alteri uſuariam conceſſiſſe fertur.

Pericles Uxorem habebat propinquam ſuam, quæ antè nupta Hipponico fuerat, & illi Calliam ediderat divitem illum. Genuit in matrimonio Pericli, Xantippum, & Paralum. Id cùm eſſet matrimonium utrique odioſum, collocavit eam alteri non invitam. *Plut. in Pericle.*

Stratonica Demetrii Poliorcetis F. Seleuco concedente, Antiocho ejus filio nupſit. *Plut. in Demetrio, & Sab. lib. 7. En. 4.*

Romanus, ex inſtituto Numæ, cùm eſſet ei copia liberorum, exoratus ab alio, qui ſobolem quæreret, permittebat ei Uxorem, cùm dimittendi eam prorſus, commodandique alteri, atque inde recipiendi eam arbitrium haberet. Exemplum illuſtre eſt Martia Catonis Hortenſio deſponſata, quam eo mortuo iterùm recepit. *Plut. in Catone.*

Tiberius, Tiberii Cæſaris pater, uxorem Liviam Druſillam, & tunc gravidam, & antè jam apud ſe Tiberium enixam, C petenti Auguſto Cæſari conceſſit. *Suet.*

Dionyſius tyrannus Syracuſanus cùm poſtularet Mater ejus civi cuipiam collocari: Civitatis, reſpondit, leges aſſecutum ſe tyrannidem, evertiſſe: naturæ verò, ut nuptias intempeſtivas conciliaret, vim afferre non poſſe. *Plut. in Solone.*

Naupacti Veneri in ſpelunca ſuos habent honores: vota ei nuncupant, & aliis de cauſis, ſed in primis Viduæ mulieres ſibi adeò alteras nuptias expoſcunt. *Pauſanias in Phocicis.*

Cleomenes Leonidæ F. cùm Ephoros tollere, & Lycurgi leges reducere tentaret, conciliavit ſibi multos civium, matre interprete Crateſiclea, quæ nummos ei ſuppeditabat largè, ejuſque ſerviebat gloriæ: quippè etiam dicitur filii gratia nupſiſſe, cùm id non affectaret, Megiſtono principi civitatis auctoritate, & opibus. *Plut. in Cleomene.*

Glaphyra Archelai Cappadocum regis F. tertias nuptias acceſſit. Nupſit enim primò Alexandro Herodis filio, fratri Archelai, qui patri ſucceſſit. Alexandro à patre occiſo, iterùm nupſit Jubæ regi Mauritaniæ. Hoc quoque defuncto, viduam apud patrem agentem in Cappadocia duxit Archelaus tetrarcha, repudiata Mariamne. *Joſeph. l. 17. c. ult.*

D Si qua Mulier apud Rom. antè decem menſes ab obitu mariti nupſiſſet, probro notabatur, ut *in l. Codicis* legitur: & ex decreto Numæ, teſte *Plut.* vaccam prægnantem immolabat. *Polydorus l. 6. c. 9. de Rerum inventoribus.*

Beatrix Bonifacii ſecundi Italiæ Marchionis vidua, cùm ab Imperatore objurgaretur, quod Godofrido Lotharingo nupſiſſet: reſpondit, ſe deſolatæ domui patronum paraſſe, & ingenuam ingenuo, ſine fuco nefariæ machinationis nupſiſſe. Itaque eum æqui, bonique non eſſe memorem, ſi id ſibi non permitteret, quod in Imperio Romano nobilibus feminis ſemper licuiſſet. *Schafnaburgenſis.*

* Vidimus nuper dum Herlemo Amſterodamum proficiſceremur, Mulierem luſcam, & adhuc mediæ ætatis, medio itinere tabernam aperientem, quam aſſerebant, vigeſimo, & quarto marito, mortuis prioribus nupſiſſe. Nec diffitebatur deſuper interrogata. Erat autem maritus juvenis adhuc, vix excedens annum trigeſimum. Eſtque res hæc notiſſima Hollandis.

QUALITATIS RESPECTU.

Secundùm

Animi Mores. Conjuges E

Similes moribus.

Homerica nobis doctrina ſuggeritur: Helenam divitiarum fuiſſe appetentem, at Paridem voluptatum. Ulyſſem verò prudentia conſpicuum, modeſtia Penelopem. Quid ergo inde provenit? Nempè horum connubium felix, atque optabile: at Paridis nuptiæ cum Helena, ex Græcorum, Barbarorumque calamitatibus Iliada confecere. *Cæl. l. 28. c. 21.*

Martialis in peſſimos Conjuges *lib. 8.*

Cùm ſitis ſimiles, pareſque vita,
Uxor peſſima, peſſimus maritus:
Miror, non bene convenire vobis.

In Fabium, & Chriſtillam, idem *Epigr. lib. 18.*

Effert uxores Fabius, Chriſtilla maritos,
Funereamque thoris quaſſat uterque facem.
Victores committe Venus, quos iſte manebit
Exitus, una duos ut Libitbina ferat.

Diſſimiles moribus.

Abigail mulier venuſtiſſima, & prudentiſſima Nabal ſtolidiſſimum, & inhumaniſſimum maritum habuit. 1. *Reg.* 14. F

Tarquinii duo fratres, duas ſorores, Servi Tullii filias, diſpare ingenio uxores habuerunt. Ferox enim major Tarquinius miti ingenio conjugem fuerat ſortitus. Contra Aruns probus ipſe, improbam feminam, & ad omne ſcelus præferocem Tulliam. *Sab. lib. 5. En. 2.*

M. Cato Cenſorius Paulam uxorem violentam, ac ſuperbam, humili ortam progenie, duxit. *Plut. in Catone.*

Anaſtaſia à Flavio marito ſceleſtiſſimo carceri incluſa fuit, ob Chriſtianam fidem, ejuſque bona in idololatras abſumpta. Id quod ex epiſtola ejus ad Chryſogonum intelligere licet apud *Suidam.*

Concordes.

☞ *Ex Tit. Fidei, & Amoris Conjugalis huc quædam.*

Ferdinandus Joannes Aragoniæ regis filius, ab Eduardo Angliæ bello victus, cum uxore, & liberis captus vita privatus eſt, Soror hujus Elizabetha Ferdinando regi Hiſpaniæ nupſit, atque ita contigit, ut fratre extincto, ulteriorem Hiſpaniam ſecum dotali nomine ad virum traxerit. Mira ſunt, quæ de reginæ hujus indole feruntur: quæ eò propriora verò mihi videntur, quia cum fortiſſimo rege, atque eodem feliciſſi- G mo Ferdinando, cui erat nupta, ex æquo, ut fertur, regnum adminiſtravit, tanta inter ſe concordia, quanta nulli regum ulla unquam memoria in connubio vixere. Nihil gerebatur, quod non ab utroque deliberatum, conſtitutum, & ſubſcriptum eſſet. Hiſpaniæ regni nomen commune erat: communi nomine legationes expediebantur: in commune exercitus comparabantur, bella communibus auſpiciis gerebantur, & neuter altero majorem ſibi auctoritatem, adminiſtrationemve in eo regno vindicabat. Eſt inde Ferdinandus quadriennio poſt citeriorem Hiſpaniam adeptus, cùm jam partem amiſiſſet: eſt & Siciliam conſecutus cum Balearibus inſulis, quam ex Alfonſi fratris interitu, qui in Italia regnavit, Joannes ejus pater ſuis opibus adjecerat. *Sab. l. 7. En. 10. & Guiciard. l. 6.*

Reconciliati.

Erat Romæ ſacellum in Palatio deæ cujuſdam, in quo, ſi quid domi inter Conjuges inciderat jurgii, locuti, quæ volebant, reconciliabatur, Dea hæc Viriplaca nominata eſt: quæ nomine ſuo admonebat, non uxorem à viro placandam eſſe, ſed virum ab uxore. *Lud. Vives de Chriſtiana femina lib. 2.* H

☞ *Ex Tit. Divortii quædam, quatenus rixæ, & diſſenſiones præcedunt.*

Recitante oratore Gorgia Olympiæ Græcis de concordia orationem, Melanthus. Hic nobis, inquit, auctor pacis eſt, qui ſibiipſi, uxori, & ancillæ, qui domi ſuæ tres ſunt, ut conſentiant, non perſuaſit. Tenebatur nimirum amore quopiam Gorgias, & conjux æmulatione in ancillam. *Plut. in Præceptis connub.*

Tiberius Cæſar, Agrippina præter voluntatem dimiſſa, Juliam Auguſti F. ducere coactus, cum illa primò concorditer, & amore mutuo vixit: mox diſſedit, & aliquanto gravius, ut etiam perpetuò ſecubaret, intercepto communis filii pignore, qui Aquilejæ natus infans extinctus eſt. Eam ubi Rhodi comperit ob libidines, atque adulteria damnatam, repudiumque ei ſuo nomine, ex auctoritate Auguſti remiſſum: quanquam lætus nuncio, tamen officii duxit, quantum in ſe eſſet, exorare filiæ patrem frequentibus literis, & vel utcumque meritæ, quidquid unquam domo dediſſet concedere. *Suet.*

Con-

Conſtantinus Copronymus cum uxore Irene Cacani Ava-
A rum ducis filia ſemper diſcordi animo vixit, cùm illa iconolatra, hic iconomachus eſſet. *Cuſp. in Cæſ.*

FORMÆ RESPECTU.

Formoſæ uxores.

Interrogatus aliquando Marianus Sozinus Senenſis Jureconſultus, Cur minus ſolito literis operam daret? Uxorem, inquit, duxi. Rurſus interpellatus. Cur Socrates poſtquam duxiſſet uxorem, non itidem philoſophiæ ſtudia neglexiſſet? Xanthippe ait, moroſa fuit, & deformis: mea verò proba eſt, & formæ ſingularis. *Æneas Syl. l. 3. de Alfonſo.*

Deformes uxores.

Quidam è convivis dixerat Anacharſidi, Uxorem duxiſti admodum deformem. At ille: Prorſus, inquit, idem mihi videtur. Sed heus puer, porrige poculum meracius, ut illam faciam formoſam. *Athen, lib.* 10.

In Eum, qui uxorem deformem habebat, *Pallad. in* 2. *Epigr. Græcorum*, ſic ludit:

Ο' τὴν γυναῖκα τὴν ἄμορφον δυστυχῶν,
Λύχνους ἀνάψας ἑσπέρας, σκότος βλέπει.

B ÆTATIS RESPECTU

Similes.

De Baucide, & Philemone *Ovidius* 8. *Metamorph.* ſic ſcribit:

Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon,
Illa ſunt annis juncti juvenilibus, illa
Conſenuere caſa, paupertatemque ferendo
Effecere levem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert, dominos illic, famulosve requiras,
Tota domus duo ſunt, iidemque parentque, jubentque.

Diſſimiles.

Dii meliora piis, Mezenti, cur age ſic me
Compellas? emptus quod tibi dote gener.
Gallica quem ſcabies dira, & mentagra perurit,
Hoc eſt quidnam aliud, dic mihi, ſæve pater.
Corpora corporibus, quam jungere mortua vivis,
Efferaque Etruſci facta novare ducis?

Alciat. *in Emblem.*

CONJUGUM FIDES.

☞ *Quære Titulum Fides, Fidelitas.*

C EXEMPLA HISTORICA.

Theſea Dionyſii ſoror, nupta Polyxeno, poſtquam maritus metu tyranni profugiſſet, & rex ſororem accuſaret, quod conſcia fugæ mariti non indicaſſet: Adeone, inquit, Dionyſi, me vilem, abjectique animi fœminam judicas, ut ſi ſenſiſſem illum moliri fugam, non me illi navigationis, & omnium fortunarum comitem additura fuerim? *Eraſm.* 5. *in apophth. ex Plut.*

Portia Bruti uxor, Catonis filia, poſteaquam ſenſit conſpiratum de Cæſare interficiendo, ea nocte, quæ præceſſit diem, in quo Cæſar occiſus eſt, egreſſa cubiculum, Brutum cultellum tonſorium velut ungujum reſecandorum gratia popoſcit, eoque quaſi ſortè de manibus elapſo, ſeipſam graviter vulneravit. Mox Brutus clamore ancillarum in cubiculum revocatus objurgare eam cœpit, quod tonſoris præripuiſſet officium. Hic illa clàm marito: Non hoc, inquit, temerè feci: nam experiri volui, ſi quod conſtitutum eſt, parum ceſſerit ex ſententia, quam æquo animo me ferro ſim peremptura. *Plut, in Brut.*

Julius Cæſar, Pompejam uxorem, quod ſiniſtra fama laboraret, quaſi cum Clodio rem habuiſſet, repudiavit quidem.
D Cæterùm cùm Clodius hoc nomine reus perageretur, Cæſar citatus teſtis, nihil mali de uxore dixit: At cùm accuſator diceret, cur igitur cum illa feciſti divortium? Quoniam oportet, inquit, Cæſaris uxorem etiam à calumnia puram eſſe. Præter argutiam reſponſi laudari poteſt & civilitas: quod repudiatæ conjugis famæ pepercit. *Plut. in Rom. Apophth.*

P. Syrus eum improbè Neptunum accuſare dicebat, qui ſemel ex naufragio liberatus, iterùm mari ſe credit. Transfertur autem ad eum, qui ſecundam duxit uxorem. *Bruſ. lib.* 4. *verſ.* 25.

Dionyſius, matri ſuæ præter ætatem nubere cupienti, Civilia, inquit, ò Mater, jura violari poſſunt, naturæ vis nequaquam. Significans, contra naturam eſſe, ſi vetula, quæ jam parere non poteſt, nubat. At hodiè pariunt ſeptuagenariæ. *Plut. in apophth. Regum, & Bruſ. lib.* 4. *cap.* 1.

Annia ab amicis admonita, ut poſt defunctum priorem maritum, alteri nuberet; cùm ætas eſſet, & integra, & forma præſtantiſſima adhuc: quorum alterum præberet ſpem prolis, alterum promitteret amorem mutuum, nullo, inquit, pacto hoc factura ſum, ſi enim bono viro nupſero, nolo poſthac timere ne amittam: ſin verò malo, quæ me caperet E dementia, ut poſt optimum talem admitterem? *Eraſ. l.* 8. *apophth.*

Valeria, à quodam rogata, quam ob rem defuncto Servio marito nulli poſthac nubere vellet? Ideò, inquit, hoc facio, quia Servius meus, licet aliis defunctus ſit, apud me vivit, vivetque ſemper. *Idem ibid.*

Martia Catonis F. interrogata, quam ob cauſam poſt mariti mortem, alii ſe copulare viro renueret? Reſpondit, quia non virum facilè invenero, qui me magis velit, quàm mea. Noluit probare caſtiſſima matrona hoc conjugium, quod mutuo careret amore. Quæ dotis enim cauſa nubit viro concubinum veriùs, quàm maritum habebit. *Idem ibid.*

Portia, Cùm laudaretur apud eam mulier quædam, ut benè morata, quæ tamen iterarat matrimonium: Felix, inquit, ac pudica matrona non nubit, niſi ſemel. Non paſſa eſt illam inter benè moratas numerari, quæ citra neceſſitatem aſciſceret alterum virum. Nam multas huc cogit egeſtas. Porrò coitus gratia nubere, eſt non verè pudicarum. Eoque dixit, Felix, excuſans neceſſitatem. *Idem ibid.* Eadem, cùm diutius lugeret maritum, rogata quem eſſet habitura diem luctus ultimum? F Reſpondit, quem & vitæ. Sic illa Ethnica, magno ſanè cum dedecore plurimarum Chriſtianarum, quæ viro nondum elato jam nupſerunt. *Idem.*

Barbara Imperatrix Sigiſmundi Cæſaris uxor, eo fatis functo vidua ſuperſtitit: ei autem cùm diceret aliquis imitandum turturis exemplum, quæ mortuo marito, perpetuam caſtitatem ſervaret: Si me, inquit, ratione carentes imitari volucres jubes; cur non columbas potiùs, paſſereſque proponis? *Æn. Sylv. de dictis Sigiſmundi, & Friderici Imp.*

Pittacus, expertus dicebat, Æqualem ducito: cùm ipſe domi haberet opulentiorem, ac perinde moroſam, & imperioſam. *Id latius explicat in Chiliadibus Eraſ.*

Antiſthenes, adoleſcenti conſulenti, cujuſmodi uxorem ducere expediret? Si formoſam duxeris, inquit, habebis communem: ſin deformem, habebis pœnam. Suaſit ducendam eſſe uxorem, quæ nec faſtidium viro moveret, ob deformitatem: nec ob inſignem formam peteretur ab adulteris. Tribuit autem Gellius hoc dictum Bianti. Sed *Laert. l.* 6. *c.* 1. Antiſtheni. G

Demonax, Epicteto Cynico ſuadenti, ut uxore ducta daret operam liberis: neque enim indignum eſſe philoſopho: Da mihi, inquit, igitur unam è filiabus tuis. Notans illum ineptè ſuadere alteri, quod ipſe non faceret. *Eraſ. l.* 8. *apophth.*

Narratur illud Catonis dictum: Si ſine uxoribus mundus eſſe poſſit, vita noſtra non eſſet abſque diis. Senſit feliciſſimam hominum vitam fore, ſi datum eſſet à conjugio liberos vivere. Sed, ut idem ait apud A. Gellium, cum illis incommodè vivitur, ſed ſine illis omninò non vivitur, ut meritò dici poſſit uxor neceſſarium malum, *Eraſ. l.* 8. *apophth.* At cœleſtis veritas, uxorem bonum neceſſarium eſſe aſſerit.

Alphonſus dicere ſolebat, ita demum matrimonium tranquillè, citràque querimonias exigi poſſe, ſi maritus ſurdus fiat, uxor cæca: Innuens, opinor, fœmineum genus obnoxium eſſe zelotypiæ, atque hinc oriri rixas, & querimonias: rurſum maritis permoleſtam eſſe uxorum garrulitatem: qua moleſtia cariturus ſit, ſi fiat ſurdus: nec illa vexabitur adulterii ſuſpicione, ſi careat oculis. *Eraſ. l.* 8. *apophth.* H

Pittacus interrogabat quendam, quamobrem uxorem ducere nollet, qui cum reſpondiſſet: Quoniam ſi formoſam duxero, habiturus ſum communem, ſin deformem, pœnam: haudquaquam, dixit Pittacus: Sed ſi pulchram duxeris, non erit tibi pœna: ſin deformem, non habebis communem. *Stob. ſerm.* 65.

Antiſtenes quidam cenſebat ſapienti, non eſſe ducendam uxorem, ſed Antiſthenes contra, cenſebat ducendam eſſe, at non voluptatis, ſed liberorum gratia. Debetur hoc naturæ, & patriæ. Sed cum optima indole præditis congredietur, ut ex bonis naſcantur boni. Quin amabit maritus uxorem, non vulgari more, ſed judicio: is enim verè, & conſtanter amat, qui judicio amat. At ſapiens optimè dijudicabit, quæ ſint amore dignæ: adversùs eos, qui uxores ſe jactant habere pro matulis. *Recitat Eraſ. l.* 7. *apophth. ex Laert. lib.* 6. *cap.* 2.

Charilaus, percontanti quamobrem Lacedæmonii virgines nudas producerent in publicum, uxores verò tectas. Quoniam, inquit, virginibus mariti ſunt inveniendi, uxores verò ſervandæ iis, qui eas nacti ſunt. Huc ſpectabat ea conſuetudo, ut nec

ut nec puellis deeſſent mariti, nec contaminarentur matrimonia
A præter aliarum gentium conſuetudinem, ubi virgines videri nefas eſt, uxores oculis hominum exponuntur. *Plutarchus.*

Cives, qui à nuptiis abhorrerent, cœlibeſque vivere mallent, à ſpectaculis, quibus nudi pueri incedebant, arcebat Lycurgus, aliaſque addebat ignominias, hac arte providens diligenter, ut cives creandis liberis operam darent. Cùm enim mos eſſet apud Lacedæmonios, ut juniores ſenioribus multum honorem, cultumque præſtarent, hoc honoris ademit iis, qui conjugibus ductis nollent augere civium numerum. Unde nec illud in Dercillidam dictum reprehendit quiſquam, cùm tamen belli dux eſſet probatiſſimus. Cùm enim advenienti juvenis quidam non aſſurgeret, atque ille diceret. Non mihi aſſurgens ceſſiſti? Nec tu, inquit, me ceſſurum genuiſti. Tam procax juvenis dictum in ſeniorem, eumque bellicà laude celebrem, nunquam tuliſſet populus Spartanus, niſi pro peſſimis civibus habuiſſet eos, qui ſpontè ſteriles eſſe ſtatuiſſent, nec agnoſcerent, quid patriæ deberent. Nam rem propius intuentibus, non ita magnum diſcrimen eſt inter eum, qui civem occidit, & qui civem reipublicæ dare, cùm poſſit, recuſat. *Plut. in Lacon.*

B Lycurgus, cùm certum tempus præſcripſiſſet, quo puellæ nubere, juvenes ducere deberent: interrogatus cur id ſtatuendum putaſſet? Ut, inquit, ſoboles ex adultis, perfectæque ætatis parentibus nata, valida ſit, & vegeta. Et coitu præpropero non ſolùm læduntur corpora gignentium, verum etiam proles naſcitur imbecilla. Tum qui ante tempus dant operam liberis carent apud illos auctoritate, quam ætas conciliat: rurſus, qui vergente jam ætate, nec fruuntur liberis ſuis, nec eos poſſunt ad perfectam inſtitutionem perducere: morte, ſenioque præveniente. *Plut. in Lacon.*

LEONIDAS, Anaxandridæ filius, & Cleomenis frater, cùm ad bellum contra Perſas proficiſceretur. Gorgoni uxori ſuæ interroganti, quidnam mandare vellet: Nihil aliud, quàm ut nubas, inquit, & bonos liberos parias. Quo dicto primùm oſtendit, in eo prælio ſe periturum: deinde ſuadet uxori ne vidua maneat, ſed nubat, filios educet. *Idem ibid.*

DEMOSTHENES dicebat, homines ſui ſeculi meretrices habere ad voluptatem explendam, concubinas ad quotidianam corporis curam: uxores verò (ſubiiciebat) ducendæ ſunt, ut
C liberos legitimos gignamus, & familiæ fidam cuſtodem præficiamus. *Stobæus ſer.* 65.

ANTIANIRA Amazonum regina, demirantibus, quod nupſiſſet claudo: ſatis Cynice reſpondit, ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ, id eſt, claudus optimè virum agit. Senſit, maritum adhibendum non ad oculorum oblectamenta, ſed ad uſum conjugii. Feruntur autem claudi ſalaciores eſſe cæteris, & ob id ad gignendam prolem magis accommodi. *Eraſ. lib.* 9. *apoph.*

SOCRATES, ab adoleſcentulo quodam conſultus, utrùm uxorem duceret, an ſe omni matrimonio abſtineret, reſpondit, ſi unum eorum feciſſet, acturum pœnitentiam. Hinc te (inquit) ſolitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet, illinc perpetua ſolicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium ſupercilium grave, garrula Socrus lingua, ſubſeſſor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. *Valer. Max. l.* 7.

SOCRATES, Cùm quidam ex ejus doctrina bene meriti diſcipuli ad eum deſcenderent, rogantes eum, ut aliquod præceptum ordinandæ ſuſciperet vitæ, in ſuum eos diverſorium ſecum venire fecit, uxoremque ſuam Xantippen in ſuperioribus conſtitutam vocavit, juſſitque, vaſa oleo, & melle plena,
D ut eiiceret: admirantibuſque diſcipulis ait: ſi hanc in domibus veſtris rerum poteſtatem habueritis, beatam vitam ponetis. *In Prov: Philoſ.*

Conjectura. Conjectores.

☞ *Quære ſub titulo de Cogitatione. §. Cogitatio reſpectu modi. Puta Solers, Conjectura, &c.*

☞ *Item Tit. de Augurio, Ænigmatibus, Divinatione.*

PErinde ut eſt opinio de cujuſque moribus; ita quid ab eo factum ſit, & non factum, exiſtimari poteſt. *Cic. pro Cluen.*

De futuris rebus etſi difficilè eſt dicere, tamen interdum poſſis conjectura propius accedere, cum res eſt ejuſmodi, cujus exitus prævideri poteſt. *Cic. Torq. Fam.* 6.

Conjuratio.

E

☞ *Vide* MAGIA.

☞ *Item* Conjuratio, *ut eſt ſpecies Perfidiæ, vel cum ea coincidit.*

Erga Patriam, Conjuges, &c.

☞ *Quære Tit. de Patria. §. Perfidi erga Patriam, &c.*

Punita.

☞ *Conſule Titulum de Correctione, ſive Punitione, §. Perfidiæ in Patriam pœna.*

Erga Magiſtratum.

☞ *Require eundem Tit. de Correctione, §. Vis Magiſtratui illatæ pœna.*

Conjurationes Occultæ.

☞ *Vide Tit. de Voce viva. §. Vox viva hominis, &c. Vel ſub Titulo de Inſignioribus Notis.*

CONJURATIONUM VARIARUM

* HISTORICA EXEMPLA. F

MARCUS Brutus, & C. Caſſius in C. Cæſaris cædem conjurarunt, alioſque hujus conſilii ſocios ſibi adjunxerunt. *Vide Plut. in Bruto.*

MARTIA concubina Commodi Imper. cum Q. Ælio Læto prætorii præfecto, & electo cubiculi cuſtode, conjuratione facta redeunti ex balneo Imperatori venenum, in vino ſuaviſſimo obtulit. *Vide Sabell. lib.* 5. *Enn.* 7. *& Herodian. in Commodo.*

CAROLUS Junior Ludovici Germanorum regis filius, à Dæmonio graviter in præſentia patris, & optimatum ejus vexatus eſt: & in ipſa convexatione confeſſus, hoc ſibi ideò contigiſſe, quod contra patrem ſuum conſpirationem facere moliebatur. *Sigebertus in Chron.*

Tarquinii, Legati Aquiliorum, & Vitelliorum familias muneribus corruperant, duos item Bruti Coſ. filios: viſum eſt autem proditoribus omnibus, hominis jugulati ſanguine libato, & viſceribus tactis, magnum, & dirum jusjurandum concipere. *Plut. in Valerio.*

DARIUS rex deſignatus à patre Artaxerxe Mnemone, cùm G Aſpaſim pellicem à patre impetrare non poſſet, inſtinctu Teribazi contra patrem conjuravit. *Plut. in Artaxerxe.*

Cùm Alexander Magnus in Aſia eſſet. Dynimus quidam ex Caleſtra Macedoniæ oppido cum pleriſque aliis regi inſidiatus eſt. *Diod. l.* 17.

L. Catilina, nobili Sergiorum familia, valido corpore, malo, pravoque ingenio, Syllanæ proſcriptionis, nefariiſque dominatus mirator, peſſimo exemplo captus, animum adjecit ad Rempublicam per fraudem, & ſcelus occupandam. *Sab. lib.* 5. *Enn.* 6.

SIGEBERTUS Orientalium Saxonum rex. ☞ *Vide Titul. de Conſilio, inter Exempla hiſtorica.*

* SACRA.

Magna fuit conjuratio, quam in Patrem ſuum Abſalon perficere conabatur, ita ut omnium corda ſolicitaret, ſimulata quadam benevolentia, ut hac ratione Davidem regno exueret. Quin ſub prætextu religionis, qua ſimulabat ſe velle ſacrificare in Hebron, per clangorem buccinæ fecit acclamare univerſum populum, Regnabit Abſalon in Hebron. *Lib.* 2. *Reg.* H *cap.* 15.

ADONIAS filius Haggit elevabatur dicens, Ego regnabo. Fecitque ſibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum, Eratque ſecundus natu poſt Abſalon. 3. *Regum cap.* 1.

Conſpiravit Zambri contra Aſa Regem Juda, ita ut eum interficeret, & pro illo regnaret. 3. *Reg.* 16.

JEHU quoque filius Joſaphat filii Namſi, conjuravit adversùs Joram, eumque mox ſagitta percuſſit, & trucidavit. 4. *Reg.* 9.

Tetendit quoque inſidias, & conjuravit contra Phacee, Oſee filius Ela, & percuſſit eum, & interfecit, ac regnavit pro illo. *Ibid. cap.* 15.

☞ *Requirantur Tituli de Ambitione, Seditione, Inſidiis, Perfidia.*

Conni-